MEMORIÆ

JURISCON-SULTORUM

NOSTRI SECULI

CLARISSIMORUM

RENOVATÆ

DECAS TERTIA,

CURANTE

M. HENNINGO VVITTEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFURTI,

Apud MARTINUM HALLERVORD,

Typis JOANNIS ANDREÆ.

Anno M. DC. LXXVI.

P AM.

Digitized by Google

AMBROSIUS IN ORAT. DE OBITU VALENTINIANI IMPER. pag. 124.

DOLUISSE PLERUMQVE SOLATIUM EST DOLENTIS, ET IN EJUS, QVEM AMISSUM DOLEMUS, COMMEMORATIONE REQVIESCIMUS, ET IN EUM MENTEM DUM DIRIGIMUS, INTENTIONEMQVE DEFIGIMUS, VIDETUR NOBIS IN SERMONE REVIVISCERE.

VIRO

Digitized by Google

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, PERQVAM STRENVO ET CONSVLTISSIMO,

DN. MELCHIORI DREILINGIO,

PATRIÆ PATRI AC PRO-CONSULI PROVIDENTISSIMO,

TERRITORII RIGENSIS PRÆTORI PRIMARIO, ALIISQVE DIGNITATIBUS, ET NUNC QVIDEM PRÆCIPUE,

AD POTENTISSIMUM SVECORUM MONARCHAM, ABLEGATIONE SPLENDIDISSIMO,

MOECENATI SUO MAXIMO,

DEBITO CULTU ET OBSEQVIO DEVENERANDO;

CVJVS VTIQVE

MUNIA NON NISI MERITA,
AUTORITAS NON NISI HUMANITAS,
VITA NON NISI REGULA,
ET PRUDENTIÆ CYNOSURA:

Digitized by Google

SALUTEM ET DEXTERITATEM,

QVAM

EXACTA SECULA INVIDEANT,
NOSTRA OBSTUPESCANT TEMPORA,
VENTURA ADMIRETUR ÆTAS,
DEVOTISSIME PRECATUR,

IPSIQVE INSVPER

HANC JCTORUM LONGE CELEBRIUM DECURIAM,

JCTO ITIDEM CONSUMMATISSIMO,

CUM RELIGIOSA PROMPTISSIMI OBSEQVII

CONTESTATIONE,

AC SOLENNI BENEFICIORUM MULTORUM CELEBRATIONE,

PIA MENTE MANUQVE,

MAJORUM MORE,

DAT, DICAT, CONSECRAT,

OMNI FIDE AC NEXU

ADDICTISSIMUS

M. H. VVITTE.

SERIES

Digitized by Google

SERIES JCTORUM
TERTIÆ DECADIS.

Obiit anno

1639. Johannes Harprechtus D. & Profeſſ. Tubing.
1650. Franciſcus Stypmannus D. & Profeſſ. Gryphisvv.
1651. Georgius Richterus D. & Pro-Cancell. Altorph.
1657. Juſtus Sinolt cognom. Schütze D. Prof. & Cancellar. Gieſſenſis.
1659. Georgius Frantzius D. & Cancellar. Saxo-Goth.
1661. Johannes Kobius D. & Prof. Altorph.
1662. Henricus Kahne D. & Prof. Roſtoch.
1663. Wilhelmus Ludvvellus D. & Profeſſ. Altorph.
1664. Theodorus Reinking D. & Cancellar. Holſat.
1666. Tobias Ohlhafen D. & Pro-Cancell. Altorph.

Digitized by Google

JOAN. HARPRECHTUS,
ANTECESSOR
In Academia Tubingenſi,
Singularis exempli:
Suprema laudatione celebratus
à
THOMA LANSIO,
ANNO cIↄ Iↄ CLXXXIX.

Magnifice Rector, Auditores cæteri honoratiſſimi.

PRoxime cœlum habitant, ac beatis recte accenſentur illi homines, qui pietatis ſupra hoc vaſtum laborioſæ mortalitatis territorium ſubvecti alis, quotidie penſitant, atque inocciduis animi oculis contemplantur æternitatem. Propterea etiam tanta expectant conſtantia decretorium momentum, ut futuræ gloriæ & inenarrabilium gaudiorum certi, quaſi ad tribunal ſedentes ferant de morte ſua ſententiam, imo tanquam in funere ipſimet proſequi ſe ſe, ſepulchrorum monumenta, inſcriptiones, & cætera poſtremorum officiorum honorumque diſponere, & ſapienter ferre diſcidium ſui videantur. Hoc nomine præ multis aliis nunc jam honorate prædicandus nobis eſt, ampliſſimus vir, JOANNES HARPRECHTUS, Anteceſſor in hac inclyta Academia præter cæteros eximius, ὁ μακαρίτης. Ille enim attente ſecum ponderans, in ea conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt; ſatagebat tempeſtive, ut jugi mortis conſideratione temperaret vitæ ſpatia actionesque; moderamine tam felici, ut hilaris quietusque ſemper opperiretur mortem, atque per omnia ætatum diſcrimina veniret ad eam tamen ſine odio vitæ: admitteret illam, non attraheret tamen. Quoties poſtremis proximis annis aut inopinato obvius, aut cum ad ipſum viſerem, mihi, ſatin ſalve, percontanti dicebat: jamdiu ſe condito teſtamento liberis & cæteris domus charitatibus voluntatis ſuæ decreta præſcripſiſſe; de funere & ſepulchro quoque, ut hære-

Digitized by Google

hæredum conſilia & cogitationes levaret, ſanciviſſe: gratias Deo agere, quod adhuc dum mente ſit integerrima ut ut ſenile corpuſculum plurimis locis incipiat laxari inſtar navigii dehiſcentis; & tamen in hoc infirmitatis habitu nihil turbari, ſed vel in conſpectu mortis lætum non deficere, quamvis deficiat; quin in omnia momenta ad imperium evocantis DEI in procinctu, & paratiſſimum ad emigrationem eſſe. Stupebam ſæpenumero ad animi præſentiam ſenis invicti, & audiebam illius verba ut hominis in extrema quidem tegula poſiti, (quippe imbecilli, & octogenario paulo minoris: in quo veluti in putri ædificio omnis junctura diducebatur) ſed eo animo vultuque finem ſuum ſpectantis, quo alienum ſpectare nimis ſecuri eſſe exiſtimabam. Unum accidit mihi præter omnem ſpem; quod virorum optimus, non immemor, majorum more decedentium Profeſſorum memoriam laudatione poſthuma decorari ſolere, etiam hanc in partem curas ſuas extendere voluerit; me propterea ſemel iterumque rogans, uti, ſi inciderit caſus, tunc ſupremi laudatoris iſtius officium ego ſuperſtes obire, & ſaltem hunc illibatum defuncto ſibi amicitiæ fructum ſervare vellem. Percuſſus ſum (fateor enim) hoc improviſo poſtulato venerandi capitis. Et quanquam poteram excuſatiunculas aliquam multas opponere, veritur tamen ultimis illius intercedere votis, fidem dedi. Quod ipſum hunc ad finem exponere volui, ut oſtenderem, non ignarum me eſſe, plerumque deceſſoribus ſucceſſores, aut alios Profeſſores Academicos, ſolenni parentatione hactenus juſta ſolviſſe: ac tantum abeſſe, ut laudabili conſuetudini interſtrepere ego, aut adverſus viros clariſſimos, quos ordo dicendi tangebat, obicem è transverſo moliri voluerim: cum nemini plus conſtet, quam mihi, quantum inter illorum ſummam doctrinam & tenuitatem meam intertiguii ſit: ut certe nunc illos audire, quam ipſemet inepte dicere longe maluerim: ſed ea erat operam meam requirentis apud me autoritas, ut irreverenti reſponſo expectationem illius fruſtrari velle, nefas duxerum, & facinus nimis quam incivile. Quid? quod Harprechtus in Juriſprudentia doctor fuerit meus: cujus etiam ſolertiæ, & potiſſimum in regundis diſputationum privatarum collegiis fidei ſtudioque, tantum debeo, quantum haud ſcio an nemini. Fuit & poſtea brabeutes meus, cum ex hac ipſa cathedra ab excellentiſſimo Facultatis Juridicæ

collegio ornamenta, inſignia, & privilegia Doctoralia, præſentibus & actum exornantibus tot magnis Principibus (novem enim aderant) Comitibus, Baronibus, corona inſuper ſelectiſſima ex omnibus Ordinibus tam frequenti, ut capaciſſimus hic locus laborarit anguſtia, mihi conferrentur. Fuit præterea vicinus proximus meus; tam ſuavi morum utrinque concentu: ut neuter cum altero in gratiam redire opus habuerit. Fuit denique Amicus meus, & quidem non exigua annorum intercapedine, ſemper ſui ſimilis, officioſus, comis, affabilis, & profecto candidus, ſi quis alius unquam; quales hodie experior rariſſimos. Et annon ſatis cauſarum hoc eſt, cur Harprechto qualem qualem hanc operam condixerim, & encomiaſtæ perſonam ſumpſerim: quam doleo tam pulchre ſuſtinere non poſſe, quam ſummæ viri virtutes merentur. Extrema Germanici animam agentis dicta ad Amicos in tempore ſuccurrunt: *Non hoc* (ajebat ſeculi ſui decus) *præcipuum amicorum munus eſt, proſequi defunctum ignavo queſtu; ſed, quæ voluerit, meminiſſe, quæ mandaverit, exequi.* Exequar igitur & ego, quæ fidei meæ commiſit Harprechtus: atque de ipſo dicturus, cum omnia memoratu digna in hac temporis brevitate enarrare non poſſim, eligam ex tanto numero maxime utilia ſalutariaque: & quæ in futurum ſingulari exemplo eſſe queant moribus & literis emendandis illuſtrandisque. Favete, Auditores humaniſſimi: & ſi forte infra expectationem veſtram, inconcinne, nec ſatis appoſite dixero: errorem Harprechti benigne, quæſo, interpretamini; qui amicitiæ noſtræ fiducia peccans, laudatorem conſtituit jejunum, aridum, indiſertumque, cum ampliſſimi Senatus judicio nanciſci potuiſſet locupletem, nitidumque, & omnibus numeris abſolutum.

Naſcitur JOAN. HARPRECHTUS anno æræ Chriſtianæ ſupra milleſimum quingenteſ. ſexageſimo, menſe Januario: die horaque nativitatis non relatis in commentarios, ut propterea nec genethliacorum προμαντεύματα hic potuerint venditari. Quanquam ſcio, Harprechtum alias id genus prædictionum repudiaviſſe, ex ſententia primitivæ Eccleſiæ, quæ illam judiciariam Aſtrologiam, ut artem magicam vetitam & damnatam, averſabatur, ita ut & ſectatores illius in gremium ſuum non reciperet, niſi publica prius confeſſione & pœnitentia expiatos reconciliatosque. Sic & apud Alexandrinos vectigal pendebatur ab Aſtrologis, cui

cui à ſtultitia nomen erat Βλαχεννόμιον. Credebatur enim, Aſtrologos quæſtum facere ex ingenioſa ſtultitia & conſuli tantummodo ab hominibus ſtultis temerariisq;. Ac merito arguit princeps ævi noſtri Mathematicus Joan. Kepplerus, adeoq; inceſſit ludibrio Aſtrologos; quod cum veteres Aſtronomi Arabes ex forma ſegmenti ſphæræ, inter binos circulos Lunæ & Solis intercepti, & ad diſtinctionem ſectionis à ſectione nomina feciſſent; alteri, caput vermis ſeu ſerpentis: alteri, cauda vermis: eò quod vermis vel ſerpentis ſpecies à mucrone incipiat, in ventre latiſſima ſit, iterumque in mucronem, ut hæc ſegmenta deſinat; quod Latini transtulerunt *caput & cauda Draconis:* nihilominus tamen præclari illi Aſtrologi, neglecto ſapientum inſtituto, ad ſolum vocum technicarum horrorem auſcultantes, monſtra illis conformia inter ſidera conſecrarint; plane ſimile quid paſſi melancholicis, aut pueris & muliercularum vulgo: quibus plurimum negotii faceſſunt ſpectra & lemures, qui plerumq; nec ſunt, nec fuerunt unquam, ſed ſi rem ab ovo perveſtiges, vel naturales erant ſtrepitus, vel nocturna animalcula, vel certe in alicujus ſomniantis vel delirantis imaginatione primum nati fuerunt. Sed per me licet cuivis ex Ephemeridibus atq; Pandectis Aſtrologorum & ſapere & deſipere: diſſimulare tamen non poſſum, plurimum me tribuere tetraſticho iſti, quod extat in Palatio vetere Pragenſi:

Sidera corporibus præſunt cœleſtia noſtris,
Influxuque regunt cuncta elementa ſuo.
Cogere ſed nequeunt Animam ratione fruentem:
Namque ſub imperio ſolius illa Dei eſt.

Natus autem eſt Harprechtus noſter Wallenhemii; qui pagus eſt præfecturæ Beſigheimenſis. in Ducatu Wirtembergico: & parentibus honeſtis quidem, agrorum vinearumq; culturæ deditis: ſed nullarum imaginum. Quæ ſors naſcendi nemini bonorum vitio verti, niſi ab iniquiſſimo aut fatuo poteſt. Nam ruri æque favet cœlum, & ſæpe plus quam urbi: nec raro intra mœnia pepones, allia & naſturtia creſcunt uberius. Animus, animus ille rectus, bonus, magnus, qui tanquam DEI legatus in humano corpore hoſpitatur; ille ſolus omnis veræ nobilitatis prærogativam habet. Hic tam Vlubris, quam Romæ: tam Wallenhemii, quam Stutgardiæ oriri: hic tam in vinitorem & agricolam, quam in Principem & Regem cadere poteſt. Ex omni igitur terræ angulo in cœlum ſubſilire licet, Exurge itaque,

 quiſ-

quisquis es è Studioſorum ordine, & in hac communi patriæ calamitate ad hoſtium lubitum miſere jactatus, adhuc in apricum prodire reformidas; exurge, & te quoque dignum Deo finge: honorificam in Repub. paratam tibi ſtationem, ſi modo pietatis ac virtutum remigio conniti voles, nemo præripiet: nec, ſi ſis originis modicus, aut domicilium habeas caſam ſtramineam, tibi id erit impedimento. Sebaſtianus Schertelius, magni nominis dux militiæ, virtutis προεδρίαν adverſus fumoſas imagines maſcule tutatus eſt, hoc modo. Gliſcentibus inter ipſum, & Marquardum de Stein tribunum militum, proſapia antiqua eximium, at bellica gloria Schertelio haudquaquam comparandum, inimicitiis: cum Rotemburgi ad Nicrum tranquillandis exulceratis utrinque animis conventus ab amicis communibus indictus fuiſſet: Schertelius unico duntaxat ordinum ductore comitatus comparuit: Steinius autem præcipuos ex vicina nobilitate, Giltlingum, Ehingum, von Owen/ Truchſeſſium Hofingium, ſimulque Tubinga JCtum ſecum adduxit. Ibi tum Schertelius principium actionis capeſſens, in hanc ſententiam militari libertate verba faciebat: Ego majoribus nobilitatis veſtræ autoribus, ac familiarum principibus nihil cupio detractum: ſcitote tamen, me primo Giltlingo, primo Ehingo, primo von Owen/ primo itidem Truchſeſſio Hofingio parem: Te autem, Marquarde Steini, majorem ac præſtantiorem eſſe. Quam præfationem illico excepere proxenetæ, atque tranſactio tandem cum bona gratia partium conſecuta fuit! Verum enimvero, propter quos hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerat: à quibus patrimonium, libertatem, civitatem acceperat: quorum inprimis ſolicitudine ac divina cura ad Salvatorem generis humani, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum deductus, ac per ſanctiſſimæ regenerationis Sacramentum in numerum filiorum Dei cooptatus, inſertusque libro vitæ fuerat tenellus Harprechtulus: eos ſæviſſima peſte abſumptos amiſit vix tum quadrimulus. Et quidem hic præceler piorum parentum obitus eorundem optatis prorſus contraveniebat: ſic ut illi conſulere vivi filiolo ſuo non potuerint, quo ejuſdem ſolitudo atque educatio quam maxime firmo & in omnes caſus ſuffecturo præſipio munita eſſet. Et quia metus erat, ne contagio morbi corriperent puerulum; ille de conſilio cognatorum confeſtim ad patruum Stephanum Harprechtum, qui Germe-
riſche-

riſchemii degebat, delatus fuit: ubi novem amplius annos exegit, pie, honeſte, & amanter habitus inſtructusque à patruo: quo autore etiam diſciplinam ruris perdiſcere debuerat, ita ut paternis aliquando curis cum laude inſiſtens, ibi locorum partas opes transmitteret ad nepotes. Nec carebant ratione, quæ patruus quotidiò ſuadebat, repetebat, inculcabat. Namque omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius; ut quidem Cicero æſtimabat. Sed Harprechtus adoleſcens, qui tacito naturæ ductu, vel potius impetu, non ad rus, ſed ad jus excolendum feiebatur, altiori mentis cothurno aſſurgebat; in tantumque à ruſtica tutorum, nihil extra ſua latifundia ac vernacula artificia magnopere deprædicantium, diſcedebat prudentia; ut in Beſighemiano ludo, in quo ad Germanicam literaturam, qualis forſitan olim pagi Sculteto ſatis futura fuiſſet, addiſcendam impellebatur, nobili transfugio ad Latinas literas (annus ætatis erat XIV.) facto, aperte diſſenſum ſuum à tutoribus prodiderit. Et quantumvis illi Latinitatem aſpernati contumaciter reluctarentur, & patrimonii naufragium cum ſtudiis ſociatum iri vociferarentur; perſtabat tamen conſtanter in divino propoſito ſuo Harprechtus noſter: ſuſque deque habens, quid præclari vomerum dictatores præciperent. Jactis autem Beſighemii omni diligentia fundamentis Grammaticis; uſus Præceptoribus Andrea Junglino, & Joanne Wachſringkio, viris piis, doctis, & generoſos diſcipuli conatus foventibus; tandem Academicæ lucis percupidus, & in Studioſorum famliaritatem ac contubernium manſuetiorum Muſarum adſcribi geſtiens, Argentoratum bonis avibus, Anno Chriſti 1578. comite Carolo Mettmanno ſororio ſuo, velut ad mercatum bonarum artium profectus eſt. O Adoleſcentem potentiſſimi exempli! O pupillum recto more & benigna ingenii vena tutoribus majorem! O & providentiam cœleſtis Numinis in orbis tuendis, conſervandis, producendisque admirabilem! Afferebat nondum pubertatis annos egreſſus Harprechtus plus rationis & intelligentiæ ad regimen juventutis ſuæ: quam ſtivarum reges annis licet & barbis graves tutores. Animadvertebat Harprechtus, tametſi indoctus adhuc, doctrinam literarum vel vitioſiſſimam naturam excolere poſſe. Experimentis deprehendebat Harprechtus, ut ſpeculum impoli-

politum, nullas exprimere imagines niſi ſubobſcuras & mutilas: ita & hominem illiteratum virtutes aut exhibere nullas, aut variis dehoneſtamentis contaminatas. Et confeſſa omnibus bonis eſt hæc ſententia: Literas anteire omnia: & ſine literis nec ullam veram vitam, nec ullam cultam Remp. aut absque illis multo deteriorem pejoremque eſſe. Quemadmodum Selandi mirifica arte & induſtria ſal marinum, rude & nigricans, purgant, ac nivis inſtar candefaciunt: nec non affuſione aquæ marinæ (cujus ſalſugo in Selandia per eſt debilis) cum eo iterum decoctæ, virtute & numero reddunt auctius: ita ut ſingula ſalis Hiſpanici centenaria, in centena & quadragena quina: Luſitanici, in centena tricena quina: Gallici, in centena, ut minimum, & vicena quina excreſcant: ſic ingenium quamlibet acre, ſibi ſoli permiſſum, non raro hæſitat, nec optatam facile poteſt curſu metam contingere: ingenuis autem diſciplinis atque magiſtris artibus ſubactum in univerſo humanæ prudentiæ imperio perſpicit & proſpicit parvo negotio omnia: ut veriſſimum ſit illud Poëtæ veteris,

Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Cæterum qui hæc talia novit, qui talia juſto pretio dignatur, & ſuffragio ſtabilit ſuo: ille ſane, ſi qua prodeſſe poteſt, humanitati ſe non ſubtrahere, patriæ imo, cognato ſanguini, amicis, & omnibus auxilii indigis, auxilio dignis, ſui copiam facere debet. *Vile, latens virtus. Quid enim ſubmerſa tenebris proderit?* Vivit is, qui ſe utitur & ſe utendum Reip. ſacrat: qui vero latitant, & torpent, ſic in domo, in patria, in mundo ſunt, tanquam in conditorio. Horum licet in limine ipſo nomen marmori inſcribas: mortem ſuam anteceſſerunt. Atenim, ut ut interdum ſequior fortuna minaci vultu gravis incumbat Muſis, nil deſperandum: ut ut etiam nonnunquam ingenia, ut vina degenerent & aceſcant, aut portum bonæ ſpei non ingrediantur: nil ea cauſa attribuendum culpæ providis parentibus: nil in patronos, fautores, amicosque impellendum eſt. A nullo enim conſultore in humanis rebus exigi poteſt ſtipulatio eventus. Careat (ſi Poëtæ credimus.) *careat ſucceſſibus opto,*

Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Fuit Juris Doctor (ſed fuit, & nunc eſt *ἐν ἁγίοις*) quem tamen honoris cauſa non nomino: qui in prægandi Literatorum populo, uti tunc erat ſeculi felicitas rariſſime orabat cauſas, ſed feriata lingua, feriato calamo inglorius ſibi relin-

relinquebatur, quod nec valde diſertus eſſet, nec gratia clientes alliciendi polleret. Quamobrem ignavæ fortunæ impatiens, cum Principi & Magnatibus aliis operam ultro, ſed fruſtra obtuliſſet: poſtremo in parentes, quia ſe literis, & non magis opificio cuidam manuario addixiſſent, indignationem vertit: & aliquando mecum animi cauſa prodeambulans, atque prætergreſſus ſutrinam, quamprimum intuitus eſt magiſtrum calceolarium, inter ſtrenuas operas ſedentem, & dentibus corio mordicus inhærentem, repente è veſtigio intumeſcens exclamabas: Quid, malum, cum Corpore Juris mihi? Cur pater meus non tradidit me quoque in diſciplinam ſutoris, aut veteramentarii? Sutor ille (& frendens exprimebat nomen) dentium tenacitate plus lucrifacit unico die, quam ego ex univerſa legum ſcientia integris menſibus. Obſtupui prima fronte ad iſtam linguæ intemperiem, & hominis vecordiam: & tamen inſolens bilioſi Doctoris paroxyſmus excuſſit mihi riſum, ſimulque votum, quod concipiebam, ut ſubita elegantique metamorphoſi ex Doctore facere poſſem ſutorem: cum arbitrarer, illum dentibus quam ingenio robuſtiorem, adeoque ſubulæ & corio tractando, quam pervolutandis libris ambiguisque cauſarum dirimendis aptiorem eſſe. Vos egregii adoleſcentes, qui præſentes hic adeſtis: vos ſtudioſi non minus nomine, quam ſtudiorum contentione inſignes: vos amici mei chariſſimi: explodite atque damnate ignobilia id genus & inſcitiſſima transfugia: delirantibus precamini incolumitatem ſanamque mentem: Harprechti autem eſte æmuli, ac pulcherrimis in literis aſſidui, palmas nobiles vel invita Bellona certatim petite, porro in amore divinæ humanæque ſapientiæ ἄτρεπτοι perſeverate. Non ſi male nunc, & olim ſic erit.

O ſocii! (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonanteis
Acceſtis ſcopulos: vos & Cyclopea ſaxa
Experti: revocate animos, mœſtumque timorem
Mittite, forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Durate: & voſmet rebus ſervate ſecundis

Erit tempus, mei dulciſſimi, cum meſſem opum honorumq; ex literis colligetis ampliſſimam, ac tanto cum fœnore labores impenſi adverſitatesque toleratæ reſarcientur vobis: ut obiti omnium malorum, gloriam literarum magis magisq;

cele-

Digitized by Google

celebraturi ſitis. Expectabunt vos inſulæ Eccleſiarum: manebunt vos apices dignitatum in Principum & Dynaſtarum Conſiſtoriis: deſiderabunt & venerabuntur vos præluſtres Academiarum Cathedræ. Ne multa: domi militiæque Virtus & Doctrina veſtra militabunt pro Eccleſiis, & pro Rebuspublicis, merita veſtra erunt incomparabilia, & gloria immortalis. Nolite vero ea cauſa demittere animum, quod adhuc impræſentiarum paupertate & aliis neceſſitatibus alicubi affligimini. Redimite (oro vos obteſtorque) redimite à pravis opinionibus, quas intus alitis, naturam. Hæc parvo dimittitur. Non fames nobis ventris noſtri, aut ſitis magno conſtat: ſed ambitio. Panem & aquam natura deſiderat; opinio immenſum. Si igitur eſuris: utique naturæ ſuum poſcenti negandum non eſt. Illa hoc jubet, famem pelli Quomodo? An cupediis ex Aſia? An Lucrinis oſtreis? An olla putrida Hiſpanorum? An aliis gularum deliciis, ſaturos ad edendum cogentibus: quales edacibus, & ſe ultra quam capiunt farcientibus, gratiſſimæ ſunt? Minime gentium. Vult illa ventrem impleri, non delectari. Vel panis ſuffecerit, plebejus, an triticeus ſit, ad naturam nihil pertinet. Sin ſitis: age, conforma te ad naturæ voluntatem. Vult ſitim extingui. At quo potu? Omitte de variis vinorum, cereviſiarum, medonum, & aliarum potionum generibus cogitare, vel diſceptare. Optime ſedat ſitim pura & mera aqua: gratiſſima eſt homini appetitus caſtigati, non Tricongio. Si ambigis: ad venerabilem & eximium virorum JOAN. JAC. HEINLINUM te duco; qui cunctis fere opibus ab impio milite, flamma ferroque horrendum in modum graſſante, immaniter ſpoliatus, ſed omnes jacturas injuriasque pietate contegere, & penuriam virtute ſarcire ſolitus, proximo ſemeſtri domi ſuæ vinum non guſtavit, ſemper aqua ſimplici uſus: & laudat potum. Et ego mihi gratulor, quod jam habeam, qui æque præſtantiam aquæ agnoſcat mecum, & hydropotæ nomen non averſetur. Hæc Stoica, ſtudioſi & amici oculiſſimi, hæc Philoſophia convenientiſſima temporibus hiſce triſtiſſimis eſt: quæ ſi quando meliora affulſerint tunc fas erit, etiam delicatius philoſophari: tunc ego

Muſis amicus, triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.

Proſe-

Proſequamur Harprechtum noſtrum. Ille Argentorati in Academicorum civium conſortium receptus eſt eo tempore, quo vix aliud ad ſtudia idoneum magis, & diſciplinæ patientius, & ad omnes laudes feracius fuit. Et ita primo carebat horribili & peſtilenti vexatione: quam hodie malo publico in plerisque Saxonicis Univerſitatibus vigere novimus: ubi in novitios ac tyrones Studioſos Cerberea factio innumeris probris tantaque convitiorum & injuriarum tempeſtate debacchari amat; ut nauſeem in ſceleribus hominum omnibus turpitudinis notis inſignium denarrandis: demirer vero, colluviem ejusmodi nebulonum hactenus multis in locis toleratam, nec pridem vel ferro ex finibus humanæ naturæ exterminatam, vel ad agnatos & gentiles, aut ſaltem in Raſpinianum relegatam fuiſſe. Ignota etiam tunc temporis quam plurima alia morum detrimenta, ſtudiis inimica, erant. Nondum quippe Studioſi juvenes in veſtitu à veteri modeſta gravitate fecerant divortium. Cum hodie bene multi non tantum exautorato pallio verecundiam, bonum alioquin in minori ætate ſignum, develent ultro; atque frontem confuſis tonſoris artificio crinibus operoſe obnubilent devenuſtentque: verum etiam undiquaque comptuli, quaſi novi quidam Equites de Schola, ſemper ocreati & calcaribus armati circum compita errent, publico ludibrio obnoxii quidem, ſed nihilominus vani applauſus affectatores; qui in cunctis actionibus peregrinis geſtibus formisque inania laudum ſine modo ſectantur: mox ſuperaturi priſcum Lampadium illum quoque, qui indignanter admodum ſuſtinebat, ſi etiam cum ſpueret, non laudaretur, ut id quoque prudenter præter cæteros faciens. Qui tamen ἄνιπποι & pedeſtres Equites nunc feruntur in Academiis: credo, ut multi habentur in canone Sanctorum, quos liquet erraſſe in fide, & eorum opiniones pro hæreticis ab Eccleſia condemnatas fuiſſe. Verum Reipub. literariæ & exiſtimationis magiſtratuum intereſt, ſtudiorum impedimenta undique & undique diſpellere: ac revocato ſapientiæ habitu curare, ne ſacra Muſarum à calcarium ſtrepitu familiariter inquietentur. Et opportune ſuggerebant Muſæ iſtos verſiculos:

Gens Studioſa frequens hodie calcaria geſtat;
Hocque ipſum eſt ſignum non leve pigritiæ.
Nonne & ſtultitiæ? Quis enim calcar pede geſtet
Non-demens, debet cum ſtimulare caput?

Har-

Harprechtus igitur, qui ab iſtorum monſtrorum muricibus erat immunis, ingenti alacritate auſpicatus eſt curſum Academicorum Studiorum, cum bono DEO: & ſtatim faſces libertatis ſuæ ſubmiſit ſapientiæ imperio: ne alias cupiditate plurima cognoſcendi flagrans, ſi ſibi fideret ipſe, gravi lapſu impingeret, & imprudens in ſtultitiæ mæandris fatigatus à vero ſcopo penitus aberraret. Periculoſe enim diſcit, qui ſine ductore diſcit: & à regia via deflectens, per diverticula tandem ad præcipitia frequenter ducitur. Nec raro incautus juvenis pulchris literarum involucris comprehenſa toxica cupide arripit, aut etiam ſalutaria perperam tractans ea vertit in noxam. In eodem enim prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertos ex iisdem floribus apis ſugit mel, venenum aranea. Nactus eſt Harprechtus in humanitate politiori ac liberalibus artibus cæteris tam præſtantes doctores, quibus meliores ne votis quidem conceptis adipiſci poterat: viros præclariſſimos, Sturmium, Junium, Havenreuterum, Gollium, Winshemium, Wolckenſtenium, Boſchium, Benzium, Glaſerum Bütnerum: at quos Profeſſores! quos vel vidiſſe tantum, erudiri erat. Horum ſcholas obſidebat: primus admodum veniens, noviſſimus exiens. Quotidie in Græcis & Latinis auditoriis aſſiduus: ſemper in Poëtica, in Oratoria, in Logica, in omni Philoſophia & Philologia, cum laude & laboris pretio progrediebatur: ſemper ex amœniſſimis Muſarum hortis excultas nobilesque morum & ſermonis elegantias ſecum ferebat: ſemper doctior, ſaniorque, aut ſanabilior domum redibat. Atque hæc vis eſt vocalis Cathedræ: ut auditores inſtituat, vel præter eorum opinionem. Sicut qui in Sole diu verſantur, colorem: qui in pharmacopolio moras ducunt, odorem loci ſecum auferunt: ita, qui Profeſſorem audiunt crebri, bonæ mentis peculium augent, vel præter ſententiam. Propoſitum & Doctoribus illis, & Diſcipulo Harprechto fuit valde conſentaneum: cum illi & maxime prodeſſe cuperent, & iſte proficere ſummopere vellet. O divini naturæ ſtimuli! Omnibus natura fundamenta dedit, ſeminaque virtutum: cum irritator acceſſit, tunc bona illa velut ſopita excitantur. Potiſſimum autem tyrones impetus primos ad optima quæque habent vehementes: ſi quis exhortetur illos, ſi quis impellat. Subinde tamen aliquid præcipientium vitio peccatur, qui docent diſputare ſolummodo, non vi-

vere:

Digitized by Google

vere: aliquid etiam diſcentium, qui propoſitum adferunt ad præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium tantum. Philoſophia enim cum Philologia conjungenda eſt: nec altera ſine altera ſatis commode, nec ſatis belle habet. Vos Studioſi florentiſſimi, qui in hoc illuſtri Muſarum ſtadiodromo honeſtiſſime decurritis; Vos tenete animo ſemper illud Virgilianum egregium, & tanquam oraculo miſſum:

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtuque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Fugit, ait Poëta; quod currendi genus concitatiſſimum eſt. At quia fugit; vigilandum nobis eſt: niſi properemus, relinquimur. Agit nos, agiturque velox dies: inſcii rapimur. Omnia in futurum diſponimus, & inter præcipitia lenti ſumus. Quid ergo ceſſamus nos ipſi concitare, ut velocitatem rapidiſſimæ rei poſſimus æquare? Meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. Ex amphora primum, quod eſt ſinceriſſimum, effluit: graviſſimum quodque turbidumque ſubſidit: ſic in ætate noſtra, quod optimum, in prima eſt. Prima autem optima: quia, quod reſtat, incertum eſt: quia juvenes poſſumus diſcere, poſſumus facilem animum, & adhuc tractabilem, ad meliora convertere. Hoc etenim tempus idoneum eſt laboribus, idoneum agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. Quod ſupereſt, ſegnius & languidius eſt, & propius à fine. Subeunt morbi; ſenectus, quæ ipſa inſanabilis morbus eſt, premit: & adhuc adoleſcentiam cogitantibus ſupra caput eſt. Poſt publicas ſtatasque Profeſſorum lectiones, Harprechtus noſter ad repetitiones earundem feſtinans, domeſtica induſtria prædulces doctrinarum lautitias, & vere ambroſias dapes quaſi in ſuccum & ſanguinem convertebat: inſtar ſacro ſancti fideicommiſſi habens, quicquid à ſublimibus illis Doctoribus traditum, cuſtodiendum accepiſſet. Deinceps ingenium ab omni otii ærugine vindicaturus, ſponte urgebat, atque nova ſemper penſa imperabat ſibi. Bonos autores legebat intente: utiliſſima excerpens: ſpurca forte, & quæ caſtimoniam morum lædere poterant, averruncans: & cuncta triti acuminis ludicra faſtidiens. Stylum vertebat creberrime, epiſtolas ſcriptitabat, oratiunculas componebat: & quicquid uspiam in univerſo Philoſophiæ mundo offenderet præter cætera pretioſum, &

Q excel-

excellens, peculiari & penitiſſima ſolicitudine in ſacrario bonæ memoriæ reponebat. Neque etiam Poeticam, quippe Rhetoricæ ἀντίϛροφον, capacem omnis ſcientiæ, omnisque elegantiæ & ornatus in toto Muſarum regno præcipuam magiſtram, aſpernabatur: ſed ſubciſivis horis pangebat carmina: non leviter jucundiſſimis verborum ſententiolarumque tragulis erectus, ac ſæpe recreatus. Quemadmodum enim ſpiritus noſter clariorem ſonum reddit, cum illum tuba per longi canalis anguſtias tractum, patentiore noviſſime exitu effudit: ſic & ſenſus noſtros clariores carminis arcta neceſſitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu ſoluta oratione dicuntur: ubi acceſſere numeri, & egregium ſenſum adſtrinxere certi pedes, eadem illa ſententia velut lacerto excuſſa torquetur. Et hujusmodi erant intra privati Muſei parietes Harprechti pulcherrima otii negotia. In cœtu, cum literato prudentique commilitio libentiſſimè jungebat amicitias: cæteroquin à ſequiorum conſortio alienus. Quare & diſputationibus tam ſolennibus, quam quotidianis & privatim indictis exercitationibus, ſingulari ſtudio & voluptate vacabat. Quo inſtituto nullum aliud in Academiis ad veri indagationem utilius, & ad generoſos adoleſcentum ſpiritus excitandos animandosque potentius eſſe poteſt. Sicuti enim per gymnaſticam corporis vires firmantur, & novis viribus creſcunt; ita in literaria palæſtra animi vires fortiores evadunt & vegetiores. Ex quo forſitan ſcitum Chaldæorum enatum eſt, quo volunt, ut in geneſi futuri Philoſophi Mars triquetro aſpectu Mercurium conſpiciat; quaſi his congreſſibus ac bellis hiſce ſublatis, ſomniculoſa & dormitans foret omnis Philoſophia. Velim, Auditores, & exoptem animitus, omnibus bonæ ſpei adoleſcentibus Studioſis in mentem daret DEUS, ut ad normam exemplumque Harprechti, juſto ordine, & non niſi per Philologiæ & Philoſophiæ ſcalas, pedetentim & gradatim, ad Superiores, quas vocant, Facultates adſcenderent! O utinam & publico ſanciretur edicto, ut ad altiores ſcholas non niſi accurate examinati & communi Doctorum ſuffragio digni declarati, admitterentur! Scalarum gradus, ſi alios tollas, alios incidas, nonnullos hærentes relinquas: periculum ſtruis, non aſcenſum paras. Sed morbus eſt ſonticus degenerantis ſeculi: quod cum ad barbariem præcipitet, non curat; quæ & quam probroſa ſapientiæ ſtudiis obſtacula

Digitized by Google

ſtacula fiant; & quam turpia infamiaque rebus publicis Scholaſticis vulnera infligantur. In multis Univerſitatibus, plerique Scholares è tyrocinio, bonis literis vix extremis digitis attactis, immani ſaltu ex trivialis pulveris anguſtiis ſe projiciunt in vaſtum juris Oceanum, ac ſine terminis mare: ita cum fere ſint in Grammatica pulli, in Poëtica nulli, in Logica aſini, in Rhetorica muli, oves in Muſica, boves in Arithmetica, porci in Ethicis, canes in Phyſicis, bardi in Mathematicis, & in cæteris Philoſophici regni partibus talpæ, & in congreſſibus familiaribus magis muti quam piſces; audent tamen temerarii illotis quaſi manibus ſacra Themidis attrectare; audent ſanctiſſimarum tot chiliades legum intempeſtiva lectione laceſſere: ſed vix paucis legibus perfunctorie prælibatis, non paucis tamen Brocardicis è pragmaticorum penu devoratis, tanquam deſultorii equi ad forum & Remp. proſiliunt, ac rabularia prurigine cauſificinæ atque litibus multiplicandis ſtrenue operantur. Et quanquam interdum felicia ingenia, ſine bonarum artium multa cultura, ſolo prope igeneæ mentis ducatu & improbo labore ad non pœnitendam juris cognitionem pervenerint olim: publicis item ſcriptis & magnæ molis operibus memoriam ſui protulerint atque commendaverint poſteritati: quia tamen rudiori calamo utebantur, & identidem è media barbaria ruſticas mutuati ſunt elegantias; factum eſt, ut inclementiorem cenſuram ſuſtineant ſubinde; & propterea Claudius Verderius Azonis ſummulas, Accurſii gloſſemata, Bartoli doctrinam, Baldi acumen, Alexandri conſilia, Pauli Caſtrenſis felicitatem, Saliceti diſtinctam, & Butrigarii maturam orationem, Jaſonis copiam, & Decii ſubtilitatem mordaci traducat ſtylo, deridiculoque caſtiget. Exactis in liberalium artium diſciplinis, quibus olei & operæ plurimum, cum magno fructu ſuo & luculento Præceptorum teſtimonio impenderat Harprechtus, aliquot annis: demum Jurisprudentiæ, cui jam pridem tacito voto ſacramentum dixerat, ſe totum tradidit. Sex ſeptem annos continuos pendebat ab ore præluſtrium juſtitiæ Sacerdotum. Audivit enim Argentinæ, tanquam Juſtinianæus novus & Edictalis, Gifanium, Obrechtum, Tuppium; Tubingæ autem, uti Papinianiſta & Lyta, Demlerum, Varenbülerum, Hochmannum, Laubmarium, Enzlinum: & Marpurgi, veluti Prolyta, aut potius Prolytarum quidam primicerius ac primipilus, Lerſchnerum,

Digitized by Google

rum, Vigelium, Vultejum, Gœddeum, atque Ph. Matthæum; Anteceſſores iſtos omnes tales & in tantum laudandos, in quantum excellere poterant, qui eaſdem Cathedras ante ipſos cum gloria tenuerant. Doctrinam enim illorum ſi conſideremus, ne clariſſimis quidem in Italia & Gallia JCtis cedebant: ſin fidem & induſtriam, nemo Italorum, nemo Gallorum de Auditorio ſuo meritus eſt præclarius: ſin & mores, vivendique rationes, nihil illis comius, nihil amabilius, nihil humanius fuit. Omnia ſupra laudes noſtras. Legimus Alexandrum Magnum, cum noctes quoque ad officia quietis, publicæ rei, & Muſarum divideret, ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenuiſſe argenteam, ut cum nervorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus, lapſæ tinnitus pilæ abrumperet ſomnum. Atqui tali machina non opus habebat Harprechtus. Sed uti Julianus (qui, ſi odium in Dn. SALVATOREM noſtrum JESUM CHRISTUM excipiamus, nulli bonorum Imperatorum poſthabendus ſit) abſque crepitaculo expergefactorio, quoties volebat, evigilavit: atque nocte dimidiata ſemper, non è plumis vel ſtragulis ſericis ambiguo fulgore nitentibus, ſed ex tapete & ſiſyra exurgens, occulte Mercurio ſuo ſupplicabat, poſtea generoſiſſimo ardore res animo excelſo dignas diſquirebat: ita omnino & Harprechtus noſter:

> (*quem nunquam madidis veniens aurora capillis,*
> *nec citus occiduas curru properante per oras*
> *ceſſantem cœli Phœbus proſpexit ab arce.*)

Ita, inquam noſter Harprechtus, ingentem omnis juris ambitum mente complexus, pervigili ſagacique cura nobiliſſimis ſtudiis inſtabat fervidus: & per tot exactæ eruditionis honoratiſſima ſpecimina, per frequentiſſimos in publicis privatisque collegiis diſceptationum agones tot adoreis exornatos, ad laurigeros triumfos animoſe tendebat: cum hoc tamen perpetuo ſalutarique omnium actionum regimine: ut ſingulos dies à devotis ad Deum precibus fuſis, & à SS. Bibliorum continuata lectione meditationeque, ſemper & ordiretur, & conderet: quam ſanctam conſuetudinem, Chriſtianæ pietatis teſſeram, tota vita ſua conſtantiſſime ſervavit. Subit oppido ſuavis recordatio immortalium amicitiarum & lectiſſimarum neceſſitudinem, quas ante hos XXXIX. annos junxeram

Mar-

Digitized by Google

Marpurgi cum ſummis viris, inſignis Academiæ Profeſſoribus: ibi loci quoties conveniebam familiariter (& faciebam hoc perſæpe) Vultejum; incredibile eſt, quam magnifice ſenſerit de Harprechto noſtro: quantopere dilaudaverit indefeſſos labores & vigilatas noctes: & quam extulerit virtutem multiplicem & abundantem doctrinam ejus? Quod tanti Anteceſſoris de Harprechto latum judicium, tunc temporis me quoque in Legali diſciplina aſſiduum erexit, & ut glorioſum hoc iter magnis incitatisque paſſibus urgerem, inflammavit.

Hactenus, Auditores, Harprechtum, uti Studioſum in Academiis decennalem, & nobilioris exempli, vobis repræſentavimus: conſequens eſt dicere, quantos honores, dignitates, emolumentaque, vehementiſſimæ illæ ingenii & meritorum contentiones pepererint produxerintque. Sicut autem deſpicimus eos & contemnimus, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putamus: ſpernimus eos, qui nec ſibi, nec alteri proſunt: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt: ita contra, & meritiſſimo ſuſpicimus eos viros, maximis efferimus laudibus: in quibus exiſtimamus, nos excellentes quasdam & ſingulares virtutes perſpicere: admiratione imo afficimus, ſi quos pietate, juſtitia, aliisque animi & ingenii dotibus ornamentisque antecellere videmus. Hinc & nemo belli notus, aut domi clarus, exortem præmii ſentire debet induſtriam: præcipue tamen digni ſunt, ut, qui ſcientiarum opibus abundant, reddantur etiam honore reverendi. Atque hoc præcipuum florentis Reipub. ſpecimen eſt, ſi optimæ artes intaminatis nutriantur honoribus, & bonæ mentis candidatis opulenta & ampliſſima præmia deferantur. Redeunti igitur Tubingam Harprechto, ac tantam doctrinarum opulentiam ſecum afferenti, confeſtim alma mater Academia veteri diſciplinæ ſuæ alumno & civi chariſſimo portam honoris pandit: atque tunc annum ætatis trigeſimum agenti, cum prius omnia, quæ ſtatutis & moribus requiruntur, cumulate præſtitiſſet, adeoque Collegii facultatis Juridicæ cenſuras, examina expectationemque, eruditis reſponſionibus longe ſuperaſſet: eidem, hoc ipſo in loco, ſolenni pompa, cum ſumma Auditorii congratulatione, ſupremos in Utroque Jure honores, titulos, privilegiaque publice tribuit &

pleniſſime conceſſit. Et continuo ſecundantis fortunæ Favonii, aliunde etiam quaſi gratulabundi aſpirabant; cum magnanimus Princeps, Erneſtus, Marchio Badenſis, qui de Harprechti ſolida eruditione, prudentia & dexteritate inaudierat, Conſiliarii Aulici munus ultro obtulit ei nec cogitanti quidem, nedum ambienti; autorque fuit, ut Spiram paulo poſt profectus ſit, in Cæſareo Camerali extremæ provocationis judicio cauſis explicandis affuturus. Sed an in conditiones hinc inde propoſitas fortean conveniri non potuerit, aut aliud negotium ſufflaminando tractatui injectum ſit: non habeo certum. Atque ita propitio numine exornandæ huic Univerſitati natus, & quaſi fato deſtinatus, paucis poſt menſibus huc reverſus eſt, ac domi ſuæ, jura interpretando, & diſputationes crebras habendo, Studioſorum commodis pro virili conſuluit Harprechtus. Intercipiebatur intereadum morbo & mortalitate grandævus ſenex, & Collegii juridici lumen, Anaſtaſius Demlerus: quem virum parce hic laudo; quod in laudatione funebri ab Harprechto prolixe ſatis uberiusque encomiis ſempiternæ gloriæ commendatus fuerit. Quæ profeſſio longius muta vacare non poterat: & poſcebant leges Academicæ & ſanctiones Sereniſſimorum Ducum Wirtembergiæ Succeſſorem Deceſſori parem; hoc eſt, JCtum omni exceptione majorem: nempe clarum ex doctrina apud externas gentes quoque, inculpatum natalibus, vitæ integrum ſceleriſque purum, Chriſtianæ Religioni Auguſtana Confeſſione comprehenſæ ſerio addictum, ad ornandum Spartam Profeſſoriam aptum habilemque, ac ſic præſtantem: ut docendo & inſtruendo juventutem conciliare ſibi, Academiæ manſurum decus addere, & lumine novo gloriæ accenſo frequentiam Studioſorum adducere, denique & Sereniſſimorum Patronorum gratiam promereri poſſit. In hæc capita jurejurando obligantur Profeſſores, quoties ad electionem novi collegæ accedunt: qui ſi prudentes vel imprudentes elegerint ineptum, effugere non poſſunt, quin cenſoriæ ſeveritatis notam patiantur, audiantque (quod horribile dictu ſit) vel ſtulti & aſini, vel perfidi ac fraudulenti. Stulti & aſini quidem; quod imprudentiæ labe corrupti, qualem eligere debebant, non potuerint: homines digni imbibere

- - purgantes pectora ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Anticyra.

Perſi-

Perfidi autem & fraudulenti: quod Cretica temeritate vel Punico aſtu abrepti, ſcientes prudentes, qualem eligere poterant, debebantque, noluerint tamen: homines noviſſima exempla promeriti. Utrique Profeſſorio ordine indigni. Et quia graviſſimo cum Reip. incommodo conjunctum eſt, ſi aliquando inſciti incallidique in ordinem vel collegium irrepant: omnino tales, publici detrimenti avertendi, ac turpitudinis amoliendæ ergo, illico iterum exturbandi ſint: accommodum & nimis quam pulchrum exemplum in hanc rem præbente Epiſcopo Ultrajectino, Philippi Boni Ducis Burgundiæ filio. Hic enim, comperto, epidemiam in ſacro ordine graſſari ignorantiam, cunctos Diaconos, Subdiaconos, Presbyteros in Aulam acciri juſſit: quos dicto audientss præſentesque ipſemet variis ſed doctis quæſtionibus tentabat, & examini impares deprehenſos, (tribus tantum exceptis, qui ad interrogata bene reſpondebant) exautoravit univerſos. Quod prudens Epiſcopi & memorabile factum cum improbarent veterani inſcitiæ Præſides ac Patroni: dictitantes, toti ordini æternas inuri maculas numquam eluendas, ſi ex tanto examinatorum numero tres tantummodo retineantur in functionibus ſuis: cogitandum potius, iſta tempora Paulorum aut Hieronymorum haud quaquam feracia eſſe: illis cordate reponebat Epiſcopus, ſe quidem neque Paulos jam, neque Hieronymos quoque quærere, nolle permittere tamen, ut hominum loco ſacra ab aſinis peragantur. Atqui celeberrima Tubingenſis hæc Academia, magni Ducis Eberhardi I filia dilectiſſima, extra Scyllam ineptarum electionum hactenus navigavit ſecure: & ſingulari DEI Opt. Max. ductu & benignitate, ſuffragantibus omnibus Profeſſoribus ordinariis, in ampliſſimi & optime meriti Demleri locum legitime ſuffectus eſt clariſſimus Doctor Harprechtus, anno ætatis ſuæ trigeſimo ſecundo. Quod ſplendidum Profeſſorium munus an digne acceperit? an ad normam Sereniſſimorum Ducum geſſerit illud? an tantam expectationem ſucceſſibus æquaverit, aut vicerit? id vero recte atque ordine nunc ediſſeram. Equidem de Harprechti celebritate nominis foris parta, deque multifariis ingenii inſignibus monumentis Marpurgi & alibi relictis, quid attinet iterum verba facere cum paulo ante fidem probe fecerim: & vel unica Illuſtriſſimi Marchionis, cauti inprimis atque prudentis Principis, ad Conſiliarii dignitatem ſplendidiſſima

ma vocatio, pro omni teſtimonio ſufficere poſſit? Sic quoque natalium honeſtatem cur fruſtraneo labore denuo commemorem: Quamobrem crambe bis cocta appoſita Auditorio tam benevolo ſtomachum moveam? Et gaudebat Harprechtus, honeſtatem non minus ſtivæ, quam purpuræ amicam eſſe: ratus, virtutem non raro habitare commodius in mapalibus, quam in Palatiis.

Accipere illuſtres raro ſolet inclyta Virtus:
Illa ſed illuſtres reddere ſæpe ſolet.

Sed quandoquidem DEUS omnium hominum pater eſt: nemo apud eum ſervus eſt, nemo dominus: omnes ſunt filii. Nemo illi pauper, niſi juſtitiæ indigus: nemo dives, niſi qui pietate & bene meritis longe præcellit: nemo egregius, niſi qui innocens fuerit; nemo clariſſimus, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit: nemo perfectiſſimus, niſi qui omnes virtutum gradus & charitatem abſolverit. Efflagitant inſuper Sereniſſimi Principes, & quidem ſolicite argumentorumque ponderibus, ab omnibus Profeſſoribus Academicis Chriſtianæ Religionis ſinceritatem. Quis non prædicet ſaluberrimam hanc providentiam, & cœleſtem hunc zelum? Divinus enim cultus, baſis eſt Rerumpub. & vileſcunt omnia, ubi pietas in DEUM non obtinet primas. Ubi autem regnum exercet in homine: ibi conſcientia bonis approbandis & malis abhorrendis quaſi pro tribunali ſedet. Et nequam improbusque eſt, quisquis eam omnium conſiliorum & actionum non conſtituerit magiſtram ducemve. Quis autem Harprechto in cultu Divino tenaciter obſervando fuit vigilantior & ſtudioſior? Quis ad Bonæ Fidei formulas compoſuit ſe diligentius conſtantiusque? Quis conſcientiam reveritus eſt magis? Norat, DEI vindicem oculum in intimis hominum cordibus intueri omnia; & arbitrari cogitationum quoscunque receſſus vel flexuras, cuniculos evaſionum formidandis angoribus evertere. Sciebat, conſcientiam εἰς ἑκάτερον paratam, & meritis paria referre: illam pie cultam, ineffabili gaudio & tranquillitate mulcere pectora: læſam autem expedire omnes diras, in peccantis perniciem nunquam ceſſaturas: illam quocunq; vadimus, nobiſcum eſſe ſecum deferre, quicquid ipſius fidei concrediderimus, ſive bonum ſive malum: illam ſervare vivis, reſtituere defunctis depoſitum, quod ſervandum acceperit. Inter multas rerum graves, quas ſcripſit orationes; illa de vulgato di-

cterio

ſterio, quo Juriſconſultorum natio percellitur, *Bonum ICtum, malum Chriſtianum eſſe*, liquido demonſtrat, quam ſancte tractaverit conſcientiam: & quam procul abfuerit ab hujus mundi profanis Argis, aliud lingua & externis actibus promptum, aliud autem mente clauſum tenentibus. Facilis transmiſſio à Chriſtiana Religione, ad morum integritatem eſt: quam itidem laudem Harprechtus ita poſſidebat, ut pares paucos, ſuperiorem habuerit neminem. Magna hæc perfectio eſt Profeſſoris: ſi non tantum præceptis doceat, verum etiam honeſtiſſimæ vitæ exemplis inſtruat auditores ac diſcipulos ſuos. Nulli pejus de mortalibus merentur, quam qui ſapientiæ dogmata velut aliquod artificium venale didicerunt: qui aliter vivunt, quàm vivendum eſſe præcipiunt: exempla inutilis diſciplinæ ſeipſos circumferunt: vitiis, quæ inſequuntur, obnoxii. Non magis mihi poteſt quicquam talis prodeſſe præceptor, quam gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt, rapiente fluctu, gubernaculum: luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt vento vela. Quid me poteſt adjuvare rector navigii attonitus & vomitans? Quanto majore putas vitam tempeſtate jactari, quam ullam ratem? Non eſt loquendum, ſed gubernandum. Harprechtus autem cum veram, non fucatam ſimulatamque Philoſophiam profiteretur: etiam atque etiam dabat operam, ut cunctis officiis impleret munus ſancti atque innocentis Juſtitiæ Sacerdotis: & omnibus Profeſſoris decoribus nullo Anteceſſorum & Collegarum minor eſſet. Supra modum illum reddebat omnibus amabilem, prudens ſimplicitas, faſtus omnis inimica. Humanitas erat obvia, mira ſuavitate condita. Affabilitas incredibilis, nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora. Nulli negabat colloquium: arbitratus, cum ab uno homine orti omnes, & hac cauſa conſanguinei ſimus, grandi ſceleri proximum eſſe, odiſſe vel nocentem. Obſervantiam recti comitabatur candor puriſſimus, à ſimulationum larva, à decipulis omnibus, & injuſtis Cæpollitatibus alienus. Libere dicebat ſententias in Senatu, in Conſiſtoriis, & in aliis conventibus: ad mitiora conſilia ferebatur ſemper: nec excogitabat crimina, ubi nullum apparebat: nec exaſperabat, ſi quod invenerat. In Academiæ

Digitized by Google

Rectoratu (quem ſepties) in Decanatu Collegii Facultatis Juridicæ) quem vicies geſſit) nihil pœnitendum admiſit : & amabat cum Studioſis miti ſeveritate agere , peccantes autem non imperio magis, quam ratione compeſcere. Et ecce præter opinionem jam delabor ad illa capita orationis, quibus oſtendere animus eſt, quomodo & quibus virtutibus penetraverit in affectus & benevolentiam Auditorum, & quantum publici boni amore arſerit. In tradendis publicis prælectionibus incomparabilem fidem & ſolertiam adhibuit. Docebat juſta methodo, perſpicue, diſtincte, nervoſe, & non niſi ad rem pertinentia; omnia diverticula, quæ ſperatos Studioſorum ſucceſſus morari poſſint, caute declinans. Et, quod valde rarum, & hodie ſine compare exemplo forſitan ſit; nunquam Harprechtus horam à legibus aſſignatam prælectioni, ullas ob privatas cauſas, neglexit: & hoc nominé, dum vixit, omnis cenſura (quæ quotannis, ſalutari lege, quater peragitur) in ipſum fruſtra fuit. Finitis prælectionibus, libera dabatur poteſtas interrogandi, conferendi, opponendi, & cætera inquirendi, quæ cupidi diſciplinarum volebant. Nec contentus hac inuſitatæ diligentiæ laude: invitabat Auditores ad frequentiſſima privata Diſputationum exercitia: in quibus ipſe Præſidis perſonam ſuſtinens, liberaliter myſteria legum pandebat, nodos ſolvebat, & quoscunque alios obices prompte ac dilucide expediebat: unice eo tendens, ut Studioſorum ſpes in fidem converteret, deſiderium plura diſcendi aleret, ac per jucundiſſimas iſtas conſuetudines Academiæ gloriam apud exteros redderet clariorem. At vero inæſtimabilis iſta Harprechti mentis agitatio, atque inextinctus in Profeſſoria provincia illuſtranda ardor: ſtimulus erit in præſens & in futurum Profeſſoribus quibuscunque ad majorem induſtriam, & ad curam Cathedræ acriorem. Et ignoſcite, excellentiſſimi Profeſſores, ſi pauliſper, & per tranſennam quaſi conſulam Harprechtanum ſpeculum: atque ex oblatis imaginibus verecunda libertate decerpam nonnihil admonitionum. Harprechtus Cathedram conſtanti vivæ vocis cultu dignatus, nunquam, ex quo Profeſſorium in ordinem receptus eſt, omiſit publicam lectionem, ne unam quidem. At quotusquisque Collegarum æqualem profiteri diligentiam potuit? Audebo dicere, & firmare, ſi opus ſit, argumentis: proximos ſolertia, fuiſſe tamen longo intervallo: fuiſſe etiam, qui ſæpe longiuſculas inducias ſibi

ſibi indulſerint: aliis quoque menſes pluſculos, menſes autem? imo & annos Cathedræ deſertæ debentibus; ut Cathedræ repudium quaſi minitari velle viderentur. Harprechtus intrà XLVII. annos (tot enim in Profeſſorio munere compleverat) arripiebat omnes occaſiones Legalibus in palæſtris Studioſos exercendi, & quam plurima diſputationum collegia inſtituendi, utilitate eorum incomparabili. At quis Collegarum plus: & quid plus dico? quis tantundem præſtitit & profuit: Audebo aſſeverare, à condita hac Academia non fuiſſe Anteceſſores, qui crebriores diſputationum conflictus aperuerint, ac Studioſos devinxerint magis, quam Harprechtum, & Henricum Bocerum: quos & generoſa æmulatio cum incremento Studiorum non mediocriter utrinque accendebat. Quo ipſo tamen nihil derogo cæteris clariſſimis & optime meritis Doctoribus: qui & ipſi nobilibus documentis ſuppetias tulerunt cupidæ Legum juventuti non raro: ceſſatores Profeſſores ea re tacitis conviciis arguendo omnes illos: qui pulcherrimam iſtam ingeniorum gymnada malo publico negligunt, & Spartam, quam ſuſceperunt adminiſtrandam, non ſatis, uti debebant, exornant. Harprechtus ex decantatæ Authenticæ *Habita* præſcripto judicium Imperatoris Friderici emeritus, tanquam nova Tubingæ exorta Jurisprudentiæ lux, eam animis Studioſorum perpetua perfidelique inſtitutione claritatem infudit, ut inde liberali doctrinarum veluti per traducem ſparſa fama univerſam Europam ſerenaverit: præconiis non ingratorum diſcipulorum ad omnem poſteritatem victurus. Abſit vero, & procul à nobis abſit, ut de tot aliis, qui fato conceſſere, ſummis JCtis, ſentiam aut dicam frigidius ſegniusve: quin potius eosdem perinde atque Harprechtum ipſum inter mirificiſſimos heroesque almæ hujus Academiæ numero: atque ſucceſſoribus cunctis apprecor, ut moribus antiquis, virtute & doctrina, à mortalitate ſe aſſerant, ac ſerio cogitent; in loco ſublimi collocatos viros doctos, ſine meritis Orbi notis, non diſſimiles eſſe ſignis pictis in pariete; ſed ſimilimos eſſe ignibus in aere ſubſultantibus ſive fatuis, qui ſubito evaneſcunt. Veteres Venerem ita fingebant, ut pedibus premeret teſtudinem: quo innuere volebant matrem familias ab ædibus nunquam oportere diſcedere, quippe cujus omne officium intra domeſticos parietes contineatur. At multo magis ad rem pertinebat, Profeſſores hoc admoneri

neri ſymbolo: qui ſi quid in munere ſuo peccant, non unius familiæ, ſed ſæpe ingentium regionum malo damnoque delinquunt. Quare ab omnibus Profeſſoribus, qui Scholaribus in ſpem Reipub. præſunt, huc referenda ſunt curæ ſtudiaque omnia, ut Diſciplinæ alumni evadant doctiſſimi, eruditiſſimi, & univerſis virtutum ornamentis præſignes. Turpe ſit, niſi exputent ſedulo, quid tantis de ſe judiciis, tantis titulis, & honoribus debeant. Id autem erit hujusmodi: conſulere fidei ſuæ concreditis adoleſcentibus: illos ante omnes alias charitates amplecti: cum illis quaſi cum filiis vivere, & cum iisdem tempus & ſtudia dividere; docere, inſtituere, emendare, medelam adflictis exhibere: providere poſteris: privatis commodis publica præponere: meritorum denique magnitudine evincere: ut parentes Patriæ & doctores Orbis dici haberique jure poſſint. Ingens profecto hæc ſit gloria. Nuncupate mecum vota, Auditores: ut illa hujus Academiæ propria perpetuaque ſit. Quicquid ſupererat temporis, quod vel in Templo ſacrorum religio, vel Cathedra auditorii, vel alia publica, ampla, gravia, nec moras ferentia negotia non exhauſiſſent: fere tribuebat Harprechtus ſcriptioni librorum: ut ita doceret longe remotos populos quoque, ac compendio monſtraret exteris, quam belle Athenis Suevicis cum omni Sacra & Civili Sapientia conveniret: quam item facile, quam utile & ſalutare illis futurum ſit, ſi cum Tubingenſibus Muſis commercium humanitatis inire arctius velint. Non autem errabat noſter communem ſcriptitantium errorem. Hodie enim inter olores canoros, plerique anſerum greges perſtrepunt. Rapiunt bene multi calamum vel invita & indignante Minerva: innoxias chartas extremo mactaturi infortunio. Ineptiſſimi, ſcripturiunt vehementiſſime: ut qui balbutiunt, plus loqui amant, affectantes copiam pudore defectus. Anteceſſor noſter recta via incedebat. Utebatur ſtylo plano, terſo; qui nec gravitate horreret, nec veneribus luxuriaret. Obſervabat ſcilicet, quod apud Curium Fortunatianum refertur dictum cujusdam viri Perfectiſſimi, *Verbis utendum eſt, ut nummis publica moneta ſignatis.* Ridebat futilis ſubtilitatis magiſtros, & caſcæ Latinitatis venatores. Nec ignorabat, Varronem quondam notatum, quod familiariter uteretur verbis obſoletis. Parſimoniam verborum bonorum oderat; putans,

affe-

Digitized by Google

affectatam ſcribendi brevitatem faſtidio, quam officio proximorum eſſe: ita tamen, ut nimiam ubertatem non conſectaretur. Tali ſtyli facilitate, ſi quid mente concepiſſet memorabile, expedito calamo referebat in commentarios & texturam operum. Et ut ſedula apis, undecunque ad mellificium ſuum comportabat, quicquid in Sacra & Politica ſapientia pium, juſtum ſanctumque, in Philologia eruditum, apud Oratores grave, in Poëtis acutum offenderat. Hac ratione multos componebat edebatque libros: prædulces ingenii, adeoque ſimilimos patri liberos. Non verboſus ero in prædicando Orationum volumine: non in laudandis Diſputationum tomis; non in illis, quibus univerſum Judiciorum ordinem deſcripſit: non in aliis pluribus opuſculis celebrandis. Omitto enim brevitatis cauſa de hiſce aliquid dicere. At illi abſolutiſſimi in Inſtitutiones Juſtinianæas Commentarii, qui aliis id genus in Inſtitutiones publicatis electiſſimis ſcriptis palmam reddunt ambiguam, tralatitie laudari non debent. Ac ſunt illi

- - monimentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Hæc, hæc ſunt vere bona, vincentia omnem comparationem: ſunt vere divitiæ, nullis exputandæ calculis, nullis pecuniis adæquandæ: ſunt vere beatæ, & felici ſydere partæ opes: inexpleto ſtudio & judicio maturo coacervatæ: perennaturæ, dum Jurisprudentiæ erit. Et, qui felicitatis apex eſt: ſcripſit Harprechtus tantarum opum hæredes Studioſos univerſos, & ſingulos ita quidem, ut ſcripſerit ex aſſe univerſos, & ex aſſe ſingulos; ſingulis tantundem percepturis, quantum univerſi & tamen tota maſſa hæreditatis ſemper permanſura integra ſit, nulla parte imminuta, atque indiviſa. Quæ vero opulentia inter mortales fingi locupletior, quæ ratio divitiarum iniri ſanctior, quæ de patrimonio ſtatui poteſt lex & hæredibus præſcribi juſtior piaq, magis, & quæ quantumcunq; ſeverũ, juſtum tamen, tribunal reformidet minus? Hæc, Auditores, prægrandis eſt Harprechti noſtri, ut & eminentiſſimorũ Authorum omnium prærogativa: qui regales bonæ mentis gazas publicando, totum mundum conſtituunt ſibi debitorem, cum fœnore gratiarum laudumq; nunquam deſituro. Quæ nimis quam deli-

delicata honorum dulcedo tanquam cœleſte quoddam nectar, quantum allubeſcat excelſis animis; vel unus Joannes Kepplerus, pro cunctis dicito. Ille juſta amicitia mihi conjunctiſſimus, & uterque alteri intimus, cum aliquando à me rogaretur, quem ex editis à ſe libris loco dignaretur præcipuo; primatum dabat Myſterio, quod ita nominaverat, Coſmographico; teſtatus, in illo ſcripto *Quinque corporum regularium ſublime ſecretum* (quippe quod ex illis Planetarum numerum & intervalla deſumpta eſſe, probaverat) tot ſeculis abſconditum pandi: inventum autem illud, cum adhuc recens eſſet, tanti ſe feciſſe, ut ſi eodem tempore Saxoniæ Electoratus ſibi dono oblatus fuiſſet, addita conditione, alterutrum, aut donum, aut inventionem repudiandi; ampliſſima & tot metallorum copijs fœta provincia excidere, quam invidenda & perpetuam gloriam ſecum ductura inventione carere maluerint. Nimirum hujusmodi, ſuperlativi gradus divitiæ, nunquam mutant dominum; &, ut maxime uſus communiſſimus ſit, ac pateat omnibus, mellitiſſimum tamen εὕρηκα illud, & quaſi directum ingenij dominium ſemper apud Kepplerum, & nomen autoris cum Myſterio ad immortalitatem iturum eſt. Recreationis ergo, Auditores, interdum Harprechtus ad Camœnas divertens, aut illuſtres veteres Poëtas lectitabat, aut (quod etiam ſupra indicaveram) ipſemet aliquid poetabatur. Bene factum. Nam non Poetices tantum, ſed & quemvis alium aliarum Facultatum Profeſſorem, in veterum Poetarum lectione non hoſpitem eſſe, utile & fere neceſſarium eſt: ne aliter ſi fecerit, frequentius ceſpitet, cum autoritatis ſuæ imminutione, ac nonnunquam ſe Auditorij pipulo objiciat præter expectationem, & cum Profeſſorij nominis dehoneſtamento. O quoties audivimus magnos Doctores, qui pronunciationis veræ ignoratione, vel Polonica licentia conturbabant legitimum accentuum ſtatum, breves ſyllabas producendo, longas corripiendo; aut certe exiſtimationi conſulturi aliqua cautela, legentes trepidabant, ſubmiſſaque voce vocis ſyllabas ſingulas per longiuſcula intervalla emetiebantur; ut animadverti quantitas ultimam antecedentis accurate haud potuerit. Cur tam caute? Poeticam boni illi Doctores nunquam didicerant: placentam illam ex omnium diſciplinarum delicijs ac medullis conditam, atque illud ex fragrantibus quibusque floſculis compoſitum mellificium (qualiter Poeticam definiunt

niunt Viri doctiſſimi) nunquam deguſtaverunt ornatiſſimi illi Domini, agreſtioribus & rudioribus condituris aſſueti. Non tamen Harprechtus captabat laurum ex verſibus, ſed hanc voluptatem; ut ſubinde in laudes DEI, Magnatum, Amicorum, Muſas cieret: parum curans, quid furiati quidam Critici, cœlum ipſum petentes ſtultitia, dum criſibus ſuis nimium favent, obgannire poſſent. Marullus Byzantinus ſex admodum Latinis, Tibullo, Maroni, Terentio, Horatio, Lucretio, Catullo, Poëtæ nomen tribuebat, cæteris hanc dignitatem abjudicabat; ita ut & ipſe ſtationem inter Ovidium, Papinium, Lucanum, Senecam, Perſium, Juvenalem, barbaro faſtu deſpiciens, illam non honori, ſed oneri fore ſibi, aſſeverare non erubeſceret. O ineptum! O tumidum! O & dementem cenſorem! Ego vero non temno Harprechti venam; laudo magis, ut facilem, piam, caſtam, & honori aliorum inſervientem, & non niſi excuſate peccantem. Eleganter Horatius:

Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.
Nam neq; chorda ſonum reddit, quem vult manus & mens,
Poſcentiq; gravem perſæpe remittit acutum:
Nec ſemper feriet, quodcunq; minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura

Hora abiit: & cum damno voluntatis, Auditores, orationis vela contrahere cogor: qui, ſi omnia Profeſſoria Harprechti noſtri ornamenta recenſere hic vellem, non horas, ſed diem totum eſſem exemturus. Aliquid de Matrimonijs ejus, cum bona venia & gratia veſtra, adhuc adjicere licitum ſit. Ut igitur demerendo hominum generi natus Profeſſor, ſtudijs ac laboribus publicæ rei devotis ſine moleſta interpellatione ſupereſſe poſſet; familiam providenter ordinavit; atque Anno cIↃ IↃ LXXXXmo in uxorem duxit MARIAM, primatis Theologi JACOBI ANDREÆ, Præpoſiti & Cancellarij Tubingenſis filiam, viduam Schüziam, fœminam præſtantiſſimam, ac plane talem, qualem olim graphice deſcripſerat S. Aſterius Epiſcopus Amaſiæ, in Homilia: An liceat dimittere uxorem: *Vxor* (ait ſanctus Vir) *membrum eſt, adjutrix eſt, vitaq; ſocia, & communium genitrix liberorum: in morbis opitulatrix, in calamitate ſolamen, domus cuſtos, ac bonorum theſaurus. Eadem dolet, eadem gaudet:*

Digitized by Google

gaudet: communes, ſi qua ſunt, poſſidet opes: rem tenuem & auguſtam ſedulò ſuſtentat; maloque paupertatis, quantum poteſt occurrit ac reſiſtit; laborem denique & moleſtiam educandis liberis propter conſortium tuum ingentem ſubit. Si calamitas incidit, ille malis obrutus latet; amici, qui cenſebantur, amicitiam felicitate metientes, rebus adverſis ſe ſubducunt: ſervi ſimul & dominum & miſerias fugiunt. Sola adhæret uxor ægra partis membrum, & in malis ſerva & miniſtra: hæc virum curat, hæc lacrymas abſtergit, hæc plagis ac verberibus medetur, hæc in carcerem usque comitatur; &, ſi quis ingredi permiſerit, libenter una cum eo concluditur; ſin id prohibetur, ſicut familiaris hero catellus circa januam carceris manet. Relatu & auditu dignum eſt: quod, cum piiſſima illa matrona afferret in domum Harprechti quinque liberos ex *M. Schüzio*, viro reverendo eruditoque, priore marito, ſuſceptos; illos tanto amore, & paterna indulgentia curaque excepit, aluit, eduxit, & ad honores produxit Harprechtus: ut nemo genuinus pater promptiori pietate & ſolicitudine pignora ſua habere, inſtruere, diligere: nemo etiam ullas in ipſo vitricorum tectas artes, aut ullos torvos obtutus unquam deprehendere potuerit. Et adhucdum ſummis laudibus ad cœlum extollit hanc Harprechtianam, & omnino paternam tot annos ſibi præſtitam pietatem, & nunquam interruptam cum immortalibus beneficiis declaratam benevolentiam, ampliſſimus JCtus *Iacobus Schüzius*, Conſiliarius & Syndicus inclytæ Reipub. Imper. civitatis Francofurtenſis: & ſi viverent, una cum ipſo tanta ſecundi Patris merita collaudaturi ſint, *Ioannes Schüzius*, qui in Moravia obiit; & *Georgius Schüzius*, qui Lincii deceſſit; & *Anna Maria*, *Ioan Erhardi Cellii*, Theologi Eslingenſis facundiſſimi uxor; & *Suſanna*, nupta, *Marcello* Dieterich / Cancellario Palatino Sulzbacenſi. Ad hoſce quinq; privignos acceſſit deinde deſideratiſſimum familiæ incrementum: cum honoratiſſima Andreana maritum ſuum Harprechtum faceret patrem ſeptima prole. tribus filiis, & filiabus quatuor. In quo domeſtico populo mira erat harmonia, imperii & obſequii; cultus & amoris; educationis & profectuum. *Iulius* natu ultimus, oppetierat infans: cæteri adoleſcebant cum gaudio & magna expectatione parentum. Nihil marito charitate uxoris & liberorum prius; nihil in hoc mundo præcipuum, quod illorum commoditatibus & honoribus aliqua obſiſtere aut nocere poſſet. Harprechtus

cico-

ciconiarum pietatem imitabatur: quæ aves quanto amore & cura defendant pullos ſuos, in Delphenſi incendio apud Batavos, ante hos centum annos, experientia teſtatum fecit. Seniores enim ciconiæ, igne jam nidis appropinquante, viſæ ſunt magno primum conatu anniti, ſi qua pullos flammis poſſent eripere: quod cum horum granditas gravitasq; vetaret, illæ aut alis expanſis natos tutatæ ſunt, aut nolentes his ſupereſſe, paſſæ ſunt ſe cum iis exuri. Non vero omittebat tam pius & facilis pater, ſi quid forte admitteretur adnimadverſione dignum, corripere, objurgare, punire; ſic tamen, ut non exueret parentem, non indueret tyrannum, aut ita aberrantem judicem Quomodo Coſmus Medices, Magnus Dux Hetruriæ, cladem domeſticam inſignem accepit. Cum enim filius ejus Garſias Joannem fratrem in ſilva occidiſſet, pater mox Garſiam eodem pugione, quo fratrem occiderat, confodit. Quod tum aliter in vulgus ſparſum, tanquam uterq; morbo interiiſſet. Vulneribus aliquot triſtibus & præpoſteritate naturæ afflictus eſt Harprechtus: quod chariſſimis tumulos dederit, à quibus accipere ſperabat. Amiſit enim *Ioannem* filium, annis florentem. Amiſit *Chriſtophorum* filium JCtum eximium, in quo non leve ſolatium reponebat: ex quo egregius ſuperextat ſurculus, unicum familiæ columen, *Ioan. Chriſtophorus*, magnæ ſpei adoleſcens: quem Deus tueatur & feliciter. Amiſit quoq; filiam *Reginam*, præclariſſimi Doctoris Medici *Ioan. Ranzenbachii* olim uxorem. Sed vivunt adhuc per Dei gratiam filiæ tres: *Agnes*, in matrimonio ampliſſimi JCti, *Georgii Mundii*, Conſiliarii Saxonici primariæ dignationis: *Maria*, in viduitate, quam moribus laudabiliter exornat, conjunx olim *Martini Rümelini*, JC. doctiſſ. & laudatiſſ. Profeſſoris: cui, qui ſimiles fuerint, de favore Studioſorũ & commendatione publica dubitare non debent: & *Roſina*, excell. JC *Ioan. Georgii Mairii*, Winshemenſ. Reip. Conſil. & Syndici uxor: quibus omnibus precor omnium proſperitatem.

Harprechtus noſter, XXIV. annis in ſumma concordia & felicitate cum ſuaviſſima MARIA tranſactis: fatis urgentibus, incidit in viduitatem. Hujus incommoda, uti virum gravem decebat, tulit prudenter: ſed cum poſtea levamentum in adminiſtranda familia quæreret, ac domeſticæ neceſſitatis interpellarent, vitæ novam, adſcivit ſociam, & uxorem duxit ſecundam, ANNAM BARTHIAM, Georgii Othonis, celebris Advocati, relictam viduam. Quæ an

R vere

vere ſecunda fuerit, rumor utique non ſemper affirmabat: quem tamen, qui pluralitate linguarum plerumque gaudet, ac ſolito licentius graſſatur, quando refert nocitura & maligna; non arripio in ſuffragium. Quod ſi autem, quæ ſiniſterius ſparſa in mores & amariſſimam conſuetudinem fœminæ, ex vero originem trahunt: ingenue dico, Harprechtum, tanquam alterum hac in parte Socratem, ſupergreſſum eſſe virtute communem opinionem; cum conſtantia & patientia per quatuordecim annos maluerit concoquere Xantippes quotidiana jurgia & flagitia, quam nil profuturis querelis ea prodere. Si fas eſſet cum Calphurnio Beſtia ingratas uxores aconito (quod omnium venenorum ocyſſimum eſſe; Plinius affirmat) interimere: minus rixarum & quiritationum irent in vulgus, ac tribunalia minus exercerentur infamibus litibus. Verum Chriſtiana charitas & leges matrimoniorum ſanctitatem longe melius æſtimant: adeoque in illa divini humanique juris communicatione Calphurnianis aconitis non eſt locus. Sed ſicubi accidunt animorum diſſociationes, tunc juſta remedia applicari ſolent: nec raro alterius conjugum δυσκολία, in altero magnarum virtutum experimenta ſunt. Marquardus Freherus hoc dicterio ſæpius jocabatur: Singulari fato viros obnoxios eſſe uxoribus: quæ ut plurimum dominium adipiſcantur clam, vi, aut precario. Cæterum Harprechtus domeſticis tempeſtatibus vultum opponebat ſerenum: ac ſi quid humana ope majus eveniret, Divino Numini in ſolidum permittebat curandum. Decreſcentibus corporis viribus, quas ſumma ſenectus quotidie depaſcebat: animo altior cunctas adverſitates ferebat humaniter, & pietate condiebat. Crudelitates & exſpoliationes immanium graſſatorum & raptorum (quos dum hominum genus erit, qui accuſet & damnet eos, non deerit) fere gemitibus refutabat. Tandem clinicus factus, in nidulo ſuo nil niſi Deum & Cœlum, & æternitatem, & preces cogitans, & loquens, rara moriendi felicitate, ſine ullo ſenſu mortis vivere deſiit, plenus annorum, plenus gloriæ. Deſiit autem die XVIII. Septembris, Anno Chriſti, cIↄ Iↄc XXXIX.

Talis tantusque, Auditores, fuit Anteceſſor HARPRECHTUS: quem quamdiu Tubingenſis hæc Academia habuit, cauſam non habebat, quamobrem Heidelbergæ Bachovium, Argentinæ Mejerum, Cothmannum Roſtochio

chio, Vultejum Marpurgo, Gentilem Altorſio; Jenæ Arumæum, & tot alios magnos JCtos aliis florentiſſimis Academiis, poſſet aut deberet invidere.

Vos, clariſſimi Anteceſſores, inſiſtite viam à beato Harprechto tritam, & pergite qua pergendum eſt: Studioſorum cœtui tam in publica cathedra, quam in privatis congreſſibus facem præferte ad Virtutes, ad Doctrinas, omni diligentia & fide: & eruditis denique Scriptis Orbem terrarum informate, cum immortali laude veſtra, præluſtri Academiæ gloria, & publica privataque Reipub. Germanorum ſalute.

Deum veneror, ut Sereniſſimum Principem noſtrum præſtet incolumem florentemque, atque nomini ejus addat hoc candidum omen: ut quemadmodum olim ante hos centum ſexaginta tres annos EBERHARDUS I. fuerat Academiæ hujus felix fundator & conditor: ita nunc EBERHARDUS III. ejusdem exiſtat glorioſus reſtitutor inſtauratorque.

Fiat! Fiat!

In Effigiem *Celeberrimi JCti,* JOHANNIS HARPRECHTI.

JUre vocor, quia ſum Germano HARPRECHTIUS ore,
Suaviter *Harpa* canit *juſtitiæ* acta mea.

In Ejusdem Obitum.

QVi juris nodos, qui legum ænigmata ſolvit,
Heu mortis nodum ſolvere non potuit!
Non potuiſſe dolet tanto viduata Tubinga
Doctore, è Cathedra cui docuiſſe parum eſt:
Sed qui Diſcipulos, quos ſcriptis poſſe doceri
Gallos atque Italos crederet eſſe ſuos.
O divine ſenex, noſtrum haud revocabilis ulli,
Quantum operæ precium Te revocare foret!

M. BALTH. RAITT.

Digitized by Google

EPITAPHIUM.

HARPRECHTUS Magnus, quem non Germania tota
Cepit, perparvo clauditur hoc tumulo.
Quam metuo, ne cana fides generoſaque Virtus
Hîc cubet, HARPRECHTO contumulata ſuo!

MELCHIOR NICOLAI D.
Pro-Cancellarius.

SCRIPTA.

De Publicis judiciis: *Tubingæ* 1599. in 8.
Tractatus de proceſſu judiciario: *ibid.* 1602. 1611. in 8.
Tractatus Criminalis, in quo propter multas arduas, quæſtiones in publicorum judiciorum materia aliæque cognatæ explicantur: *Francof.* 1603. in 4. *Tubingæ* 1609. in 8. auctior multis materiis & quæſtionibus: *ibid.* 1615. in 4.
Commentarius de jure tutelæ & Curæ: *Francof.* 1604. & *Tub.* 1609. in 8.
Oratio in obitum D. Nicolai Varenbuleri: *ibid.* 1605. in 4.
Repetitio plerarumque difficillimarum legum, quæ in Pandectis paſſim occurrunt: *ibid.* 1604. in 4.
Ad quatuor Inſtitut. Juſtiniani libros Diſputationum pars prior & poſterior. *ibid.* 1606. 1615. in 4. & *Francof.* 1613. 1663. in 12.
Tractatus de Patria poteſtate, de Nuptiis & Adoptionibus: *ibid* 1607. 1613. in 8.
Commentarii in tit. 6. 7. 8. 9. & ult lib. IV. Inſtitutionum civilium: *ibid.* 1607 in 8.
Commentarii I. De Legatis II. De Lege Falcidia III. De Fidei commiſſis IV. De Codicillis: *ib.* 1608. 1617. in 8.
Commentarius de Locatione & Emphyteuſi: *ibid.* 1609 in 8.
Commentarius in titulum Inſtitut. de Actionibus: *ibid,* 1609. in 8.
Commentarius in titulum de rerum diviſione: *ibid.* 1610. 1617. in 8.
De Succeſſionibus ab inteſtato Commentarius: *ibid.* 1610. in 8.

Com-

Digitized by Google

Commentarius de Servitutibus realibus & perſonalibus: *ibid.* 1612. in 8.

In Titulum de juſtitia & jure: *ibid.* 1613. in 8.

Commentar. in tit. 6. lib. 2. Inſtitut. de Uſucapionibus & longi temporis præſcriptionibus. Adjecta eſt ejusdem oratio de veris & juventutis comparatione: *ibid.* 1613. in 8.

De Emptione & Venditione: *ibid.* 1612. in 8.

Commentarius de Procuratoribus & ſatisdationibus: *ibid.* 1613. 1619. in 8.

Commentaria in Decem primi Inſtitutionum aliosque titulos: *ibid.* 1616. in 8.

Commentarii de Obligationibus, Mutuo, Indebito, Commodato, Depoſito, Pignore: *ibid.* 1615. in 4.

Commentarius novus de Teſtamentis: *ibid.* 1617. in 8.

Comment. in titulum libri III. Inſtitutionum de Verborum obligationibus & titulos quatuor ſequentes: *ibid.* 1618. in 8.

Poëmatum libri quatuor: *ibid.* 1617. in 8.

In titulum libri ſecundi Inſtitut. de Donationibus: *ibid.* 1618. in 8.

Commentarii I. De Exceptionibus II. De Replicationibus III. De interdictis. IV. De officio judicis: *ibid.* 1619. in 8.

Commentarius in Titul. de Mandato, de ſervitute & ſeqq. *ibid.* 1619. in 8.

Orationes de variis materiebus, publicis in conventibus & actibus ſolenniter habitæ: *ibid.* 1619. in 8.

Commentarius in Titul. Inſtitut. de Fidejuſſoribus & literarum obligationibus: *ibid.* in 8.

Tractatus de Retorſione: *ibid.* in 8.

Operum Tomi Quatuor: *Tubingæ* 1628. & *Francof.* 1658. in 4.

Inter tot ab Harprechto habitas publicè diſputationes huc ſolummodo referimus. De Pignoribus: De Verborum ſignificatione ad Clement. ſæpe &c. De injuriis & famoſis libellis: de verborum obligationibus: De ſubſtitutionibus: de obſcuriorum quarundam legum ſententia de renunciationibus.

Digitized by Google

ORATIO

In Mortem

Viri Ampliſſimi & Conſultiſſimi,

DN. FRANCISCI STYPMANNI,

JCti & Anteceſſoris in Academia Gryphiſvvaldenſi laudatiſſimi,

Ad

Magnificum Dn. Rectorem cæteroſque Academiæ Gryphiſvv. CL. Profeſſores,

Scripta Lugduni Batavorum An. 1650.

à

JOANNE POMERESCHIO.

QUod ſi in iſto funere, Magnifice Dn. RECTOR, cæterique ACADEMIÆ Patres, quo FRANCISCUM STYPMANNUM, Anteceſſorem & Collegam Veſtrum, longâ ſerie, & pullati atratique omnes, è domo ſua, ad ſupremum conditorium nuper deduxiſtis, interque pia juſta comploraſtis; nullum præter mortalitatis noſtræ exſtaret documentum, ſuperſedere utique hoc ad Vos publico ſermone potuiſſem. Neque enim tanti ultra ullius privati hominis obitus eſt, ut de fragilitate nos monere debeat rerum humanarum, poſtquam eadem moriendi neceſſitas principes quoque & terrarum dominos involvit, imo tota cum regibus ſuis regna, cum populis Urbes, iſta fatalis hora interitusque obruit & peſſundat: noſtra verò Germania, ab eo tempore; quo naſcentem illum in veſtro adſpexit ſolo- quodque anno hujus ſæculi ſupra decimum ſecundo factum eſt, non minora provinciarum, quam alicubi hominum funera, gentium excidia, & fuman-

mantes paſſim clariſſimarum urbium viderit rogos, ipſa deniqueuniverſa, tanquam funeſtiſſimum aliquod cadaver, longè lateque ardere incœperit, & conflagrare. Alia ergo, alia profectò ſunt, ad quæ attendere animum in exequiis præſtantium Virorum prudentes ſolent, & Vos inpræſentiarum, Magnifice Domine RECTOR, atque ACADEMIÆ Patres lugetis. Iſtumque, veſtrum pariter ac meum dolorem, quo ex hujus Viri obitu, infinito, atque inſolabiliter turbatus, afflictusque ſum, permittite ut in commerationem potius virtutum illius atque meritorum, quam ploratus, inaniaque lamenta effundam. Quæ cum infra dignitatem Virorum, jam olim ſapientiſſimi gentium Romani poſuiſſent, fœminis, molli & infirmo adverſus mœrorem ſexui, permiſere. Atque illarum, crudo & impotenti, luctui ſiquidem fruſtra leges præſcribimus, inſiſtat mœſtitiæ ſuæ, plangat ſanè & miſere quiritetur, usque dum tam acerbo dolori aliquod remedium vel lenimentum tempus afferat, affictiſſima Illius, & infeliciſſima parens. Quæ marito, quem cariſſimum habuit, ante annos ferè quindecim, nunc etiam filio, optimo & deſideratiſſimo, in quo ſenectutis ſuæ fulcrum, & orbitatis ſolatia collocaverat, miſere ſpoliata, perpetuis, ſed nec quicquam profuturis, ejulatibus fatorum accuſat invidiam atque atrocitatem. Quæ Gnati, & ſui velut Æmilii Papiniani, ſi in diverſo mortis genere, & per defuncti modeſtiam, ita mihi liceat loqui, cineres & ſepulchrum, turbato ordine mortalitatis, abundantiſſimo lachrymarum imbre, irrigat quotidie conſpergit. Certet quoque cum illa fletibus & lamentis, hoc ſocrus amantiſſimæ exemplo, & jactura ſua accenſa mœſtiſſima Uxor. Vidua deinceps & absque illo futura, cum quo, quod utrumque animi ægritudinem auget, & annos vix ſupra novem, eheu quam fugax & breve temporis ſpatium! & absque fribuſculo, certe ſine querela, ſine controverſia omni, magna cum dulcedine, fide autem & affectione incomparabili, tranſegit. Quæ quidem, dum ſolvit crinem ſinusque ſuos, dum laniat genas, & ornamenta ſua deponit, eademque velut nunquam reſumtura abjicit, & conculcat: ſimul ſuperſtitem geminamque alteram ſui alteram virilis tenerrimam prolem, utcunque, per ætatem primamque infantiam, capere doloris ſui cauſas, patrisque obitum non poteſt, ipſo tamen luctu ſuo, funeſtoque illo habitu & crudeli geſtu, præterea matronarum, & uxorum

Digitized by Google

veſtrarum, quæ circa illam ſunt, & quarum alias cognatas Defunctus habuit, alias affines, communi denique domus comploratione ad largiſſimos fletus provocat, & impellit. A quo infirmo deſiderio mollibusque querelis quoniam Vobis abſtinendum erat, RECTOR Magnifice, Cæterique ACADEMIÆ Patres, aliunde, quam grave illud vulnus eſſet, ſed & quam fortiter idipſum ferre poſſetis, voluiſtis monſtrare. Et rectiſſimè Vos quidem, atque ex recepta in cœtu veſtro conſuetudine, ſiquidem is demum verus honor, ea conjunctiſſimi cujusvis, & quæ mortuis exhiberi debet, pietas eſt, vitam illius, omniaque dicta factaque recenſeri publice, ſicque colere ejus memoriam & venerari, idque officium Clariſſimo cuidam ex ordine Veſtro Viro delegare volueritis. Qui in ipſa illius Academiæ, cujus hic Noſter non ornamentum ſolum & decus, ſed & columen fuit, æde, deque ſuggeſtu, quem toties conſcendit, velut in Martio quodam Campo, & pro concione, ut apud nobiliſſimos iſtos olim. Quirites, rerum dominos & togata gente, moris fuit, publica celebratione, quicquid in illo amaſtis, quicquid mirati eſtis, ediſſereret Vobis, & recenſeret. Cujus viri in dicendo virtus me, ne idem aggrederer, obruere vel abſterrere potuiſſet, niſi quantum ego me illo & ætate, & eloquentia agnoſco minorem, tantum pietate atque affectu, vel parem poſſem contendere vel ſuperiorem. Itaque hujus rei facilem à Vobis veniam ſpero, Magnifice Domine RECTOR, Vosque ACADEMIÆ Patres. Qui eum me amiſiſſe Virum noſtis, quem eundem ſanctiſſimum Cognatum habui & Præceptorem; in cujus domum ex materna admodum adoleſcens receptus, atque educatus ſum; ſub cujus diſciplina prima juventutis & litterarum poſui rudimenta: quem ſtudiorum meorum præſidem, teſtem & incomparabilem habui patronum: qui omnia, quæ à parentum pietate proficiſci potuerunt, officia, curam, fidem, ſollicitudinem, amorem (ſpiritus me penè deficit) vel implevit hercule, vel ſuperavit. De cujus ego morte accepto ante aliquot dies acerbiſſimo nuntio, majus nullum beatiſſimis piiſſimisque Manibus ejus, quodque obſervantiæ, & cultus mei, ſimulque immenſi doloris magnitudinem clarius teſtaretur, monumentum ponere me, ac dedicari poſſe credidi, quam ſi Eundem in hoc Muſarum domicilio, in ipſa propemodum æternitatis ſacra æde & templo, in delubro tot illuſtrium

ſecul-

ſeculi ſui ingeniorum, quorum magnitudinem & veneratur orbis litteratus, & ille vivus addictiſſime coluit, & ſuſpexit, in hoc denique nobiliſſimæ ex utraque Germania & aliis gentibus, quam litterarum huc amor atque eruditionis cultus traxit, Juventutis confluxu, omnemque illius vitam, indolem. mores, virtutes atque laudes traderem poſteritati, &, utcunque rudi & incondita, voce, exſequi inciperem & enarrare. Atque earundem quidem ſeriem, quod ſolemne Eloquentiæ magiſtris præceptum eſſe ſolet, vix à patria, & natalium ſede auſpicari, niſi idem cœlum, quod primam naſcenti auram infudit, Veſtri & Academiæ amorem, quem tam claris & victuris æternum documentis probavit, ſimul inſpiraſſe videretur. Quippe qui in civitatis veſtræ complexu, ſive potius ipſo Muſarum gremio ac ſinu, conceptum Eum genitumque fuiſſe, Magnifice Dn. RECTOR, Patresque clariſſimi, meminiſtis. Natum inſuper ex illa familia, quæ ſi obſcura fuiſſet, ſola illius virtute, quod non niſi nobiliſſimis ab omni ævo ingeniis datum fuit, eluctari ex tenebris, ſeque in lucem & dignitatem vendicare potuiſſet. Illa verò, utcunque Conſularibus, ſenatoriiſque, & fumoſis longa per atria Majorum imaginibus, quibus ſolis gloriari & efferre ſe inertes ſolent, conſpicua haud erat, vitæ ſe tamen imprimis ſanctitate, & morum innocentia ſemper commendaverat. Nunc autem præſtantiſſimis in Urbe veſtra proſapiis, aut cognatione, aut affinitatis vinculo, ut ſcitis, illigata, imprimis autem litteratorum ordini inſerta eſt. Ex quorum numero etſi parens, ac uterque avus haud fuerint, non ſcientiarum quippe, ſed mercimoniorum apud Vos cultu clari, inque vicinam Norvagiam, Scotiam & Angliam, in Gallias denique & Hiſpaniam ipſam, navibus ſuis excurrere ſoliti, eruditorum tamen amore & obſervantia magnopere ſemper flagrarunt. In his, pater ipſius civis, ut notum vobis, veſter, & ejusdem prænominis Johannisque illius nepos, quem cum fratre Georgio eruditioni vel addictum vel faventem inter Cives Academicos ſuperioris ſæculi*Anno XXIII. noſtis relatum erat. Vir integerrimus, priſcæ ſimplicitatis, &, quod nomen Auguſtus Cæſar olim, tot imperatoriis magnificiſque appellationibus, quas ſive virtus ejus, ſive fortuna, vel etiam illorum temporum adulatio paſſim in illum congerebat, par ſemper habuit, aut majus, Bonæ Fidei. Mater autem *Barbara Bottera*, quod non ignoratis, itidem ex Urbe veſtra oriunda, atque etiamnum

ſuperſtes eſt. Fœmina raræ pietatis atque pudicitiæ, mater familias frugi & prudens, mariti ac liberorum amans, atque, quod in Romanis illis tantopere commendatum eſt, domum ſervare & linum facere diligentiſſima. Filia JACOBI BOTTERI, Patre CAROLO, Viro, Nobili & in Semm. hereditarii adeoque Equeſtri loco in Regno Scotiæ non procul Edinburgonati, & poſt ceſſas Fratri nam majori & primogenituræ lege avilas poſſeſſiones in Pomeraniam hanc ante annos fere centum appulentis, figerique fortunorum ſedem. Matertera verò mea, ſimulque pientiſſima & indulgens nutritia. Neptis quippe, ex Filia CHRISTINA, FRANCISCI JOELIS, Auſtriaci, vulgatis pulcherrimis ingenii experientiæque monumentis, inter principes Germaniæ Medicos clari jam pridem & præſtantis. Quem meum, communemque mihi cum Defuncto proavum, fato quodam raptum tractumque fuiſſe ad eruditionis cultum, cum eum pater officinæ aut cui neſcio ſordido vitæ generi deſtinaret, ab Avia noſtra, Ejus filia, ſummæ ſanctitatis & longiſſimi ævi fœmina, memini me non ſemel audiviſſe. Ex qua ille ſervitute, cum non niſi fuga aut exilio ſe eripere & liberare poſſet, elapſus, & ea, cujus tanta, tamque incredibili flagraverat litterarum cognitione imbutus, in Pomeraniam demum noſtram, divina providentia, pervenit. Ubi valetudinum in civitate veſtra publico nomine Antiſtes, & mox, ut annales veſtri, RECTOR Magnifice, cæterique clariſſimi Patres, teſtantur, Academiæ pars, juventutisque in arte Medica doctor; Principumque POMERANIÆ glorioſs. memoriæ Archiater integro abhinc propemodum ſæculo, electus fuit. His igitur parentibus prognatus Noſter, emenſus primos infantiæ gradus, quando nos ipſos miſeri mortales ignoramus, ſuperatis etiam divino auxilio infirmitatibus ac morbis, quibus hujusmodi ætas obnoxia eſſe ſolet, & imprimis notiſſima illa & maxime pueris infeſta, morbillorum ægritudine, cum qua graviſſime & ita quidem conflictatus eſt, ut oculorum fere amiſiſſet uſum, ſumma ſollicitudine atque diligentia educari cæpit. Neque enim ignari erant optimi Parentes, quantum ad omnem ſequuturam ætatem primæ illius provida cura conferret. Cum non aliter, atque in arboribus naſcentes rami, hortulani ductu, vel in altum enituntur vel in terram proni deflectunt: ipſi etiam puerorum animi, tenelli etiamnum, rudes & cerei, in primis

primis ſtatim annorum initiis, fingantur formenturque ad illud decus aut iſta vitia, quibus poſtea juvenes & mox Viri publico cum egregio vel malo inclareſcunt. Quapropter ex patrimonio, quod tamen adeò amplum non erat, nullos unquam ſumptus, (ex aliquorum opinione quandoque nimios) ut recte honeſteque & liberaliter educaretur hic Noſter, facere Iſti recuſarunt. Perſuaſi nempe, & prudentiſſime perſuaſi, ut cunque his pecuniis ſuam exhauſiſſent, aliam Filio hereditatem, longe luculentiorem, & certiſſime herciſcundam reſtare. Ad quam abſque ullo legum beneficio, aut inofficioſi querela venturus foret, & nunquam poſſet excludi. Illam ſcilicet Virtutis, atque doctrinæ. Quæ neque teſtamenti tabulis relinquitur, neque ex prætoris edicto impetratur. Quæ ut, loquuntur JCti noſtri, univerſale jus eſt, & in qua multa continentur. Cum ſudore enim & vigiliis, honores ac dignitatem faſces, præturas, magiſtratus, divitias etiam plerumque, honeſtam vero ſui memoriam ſemper, & manſurum etiam poſt funera nomen rite illam adeuntibus defert. Parvulo igitur ipſi & vix ſeptenni ſtatim magiſter cuſtosque admotus fuit. Vir nempe præſtantiſſimus & eximius. Jacobus Chriſtiani. Tum adhuc adoleſcens, hoc verò tempore ACADEMIÆ veſtræ, bona cum laude Secretarius. Quem ille omni vita ſua addictiſſime coluit, & cui quicquid in litteris & virtutibus profecerat, deberi unice, ſemper teſtatus eſt. Ab hoc poſtquam prima pietatis & litterarum elementa doctus fuiſſet, inque eo animi indolisque præſtantia elucere inciperet, parentum votis Muſarum ſacrario deſtinatus eſt. Eodem igitur præceptore & duce, poſt ſuperata in ludo litterario ac ſchola veſtrate non pueritiæ ludicra amplius, ſed moleſta atque aſpera, linguæ Latinæ ac Græcæ cognitione imbutus, ſevera quoque lectione & ſtyli aſſiduitate exercitatus, relicto trivii pulvere, Academiæ Veſtræ, RECTOR Magnifice, Patresque clariſſimi, ſanctiſſimæ & almæ ſtudiorum Matri, ſe totum tradidit. Heic ubi in Eloquentiæ campo, & per omnem honeſtarum artium cultum, Philoſophiæ moralis imprimis & finitivæ artis, in qua ſpecimen quoque tum aliquod poſuit, biennium fere ſumma cum diligentia ac ardore inſumſiſſet, Roſtochium, decimo nono circiter ætatis anno ad vicinam, & æmulam veluti in proximo Academiam, ex parentum voluntate ablegatus eſt. Quam tunc Clariſſimi in omni

ru

eruditionis genere Viri inter JCtos autem, Simon Tœlemannus, noſtræ, hoc eſt Pomeranæ gentis, & Thomas Lindemannus Weſtphalus, quorumque celebre præſtansque per Germaniam nomen erat, illuſtrabant. Sub horum ille ductu, ſimulque in conſortio cultiſſimorum ingeniorum, popularium ſuorum, quosque eodem tempore illuc urbs veſtra, patria ejus, emiſerat, Juris civilis ſtudium auſpicatus eſt. In quorum numero præcipui tum David Mevius, & Chriſtianus Schvvartzius fuerunt, Quos noſtis, virtute ſua ac eruditione dignitatis ſibi publicas, clariſſimumque decus comparaſſe, atque ipſi etiamnum, utque diu poſſint, voveo atque precor, ſuperſtites eſſe. Imprimis autem illis ac cenſendus Joannes Eſſenius venit. Veſter ante hac, Magnifice Domine RECTOR, Patresque clariſſimi, & tum illius quoque collega, inque Academia patria Hiſtoriarum Profeſſor. Nunc autem in vicina Demminenſium civitate, quæque illuc ſpectant Eccleſiis, ſacer populi paſtor & Antiſtes. Cum quo ille omnium conjunctiſſime & fraterna fere fide devinctus vixit; cui etiam in æternum tanti amoris pignus, ſororem unicam, ornatiſſimam Virginem poſtea conlocavit. Eundem comitem fideliſſimumque Achatem, (quæ ego verba memini me aliquando in ſchedis ipſius, ubi quædam de vita ſua conſignaverat, legiſſe) ſui in Daniam itineris habuit, quod relicto Roſtochio ſuſcepit. Ad quam periculo ingenti, ex oborta in mari tempeſtate. defunctus, ſalvus tandem incolumisque appulit, luſtratoque illo regno in patriam regreſſus eſt. Quæ non ita pridem à tyrannide Cæſariani militis, & imprimis profligatiſſimi mortalium, à quo parentes illius mala multa aſperaque perferre coacti erant, Franciſci Ludovici Puruſii, cœleſti auxilio & armis divini Regis, Guſtavi M. noſtri tum & mox Germaniæ univerſæ Liberatoris, vendicata, & ab interitu retracta fuerat. In hac ubi per tempus aliquod iterum vixiſſet, pulcherrimumque ex jurisprudentia profectuum publice Vobis ſpecimen dediſſet, hanc poſtea Bataviam, celeberrimamque in ea Lugdunum petiit. Ad quam clariſſimam Muſarum ſedem eruditionis eum & ſapientiæ cultus, imprimis autem tot ſummorum Virorum, quos litterarum majeſtas & ingenii fama ſupra ſæculi evexit, præſentia, SALMASII ſcilicet HEINSIIQVE, VOSSII etiam, CUNÆI, SCRIVERII atque BARLAEI, evocarunt. Quorum ille poſtquam

quam graviſſima, & quibus omnium ſibi temporum æternitatem obſtrinxerunt, doctrinæ monumenta ſedulo evolviſſet, incredibile ſe eorum cultu ac veneratione ſuccenſum inflammatumque fuiſſe, ſæpiſſimè ſolitus eſt referre. Imò horundem vultus auguſtasque facies, quas Apollo omnesque Muſæ inhabitant, quod intueri non ſemel coram ac venerari potuerit, in maxima ſemper felicitatis parte collocavit. Domi autem ſuæ & in Muſæo, de conjungenda cum jurisprudentia Antiquitatis Græcæ illius & Quiritium Romanæ, cognitione, & Hiſtoriarum ſcriptoribus cogitare, laboremque mox illum feliciſſime inire cœpit. In quibus Cornelio Tacito imprimis ſe addixit, eumque ſtyli ſimul & civilis prudentiæ elegit magiſtrum. Auctorem incomparabilis, reconditæque ſapientiæ & fidei. Quique, ſi maximo ſeculi noſtri oratori, & quem in eodem legendo ducem publicumque hic doctorem habuit, fidem haud derogamus, non niſi præclaras illuſtresque animas admittit. In his ſtudiis cum per aliquod hic tempus, majori indies ingenii doctrinæque incremento diligentiſſime verſatus fuiſſet, domum à parentibus revocatus eſt. Neque tamen redux factus, multum & diu apud illos ſe paſſus fuit detineri. Integrum enim jam quinquennium elapſum erat, quod jurisprudentiæ ſtudio, privato publicoque, operari incepiſſet. Et ea quidem animi contentione ac cura, ut nihil illorum inexcuſſum, quæ tam vaſta moles ambitu ſuo, totque voluminibus complectitur, intentatumque relinqueret. Tempus itaque eſſe ratus eſt, ut ſubactum in umbra, & Academico veluti pulvere ingenium, ne ſolis inhæſiſſe libris argui poſſet, uſu & negotiis levigaret. Quam ad rem circumſpicienti oportunitatem, feliciſſima illi, & qua major offerri haud potuiſſet, occaſio, Anno ſæculi XXXV. illuxit. Apud Illuſtrem videlicet Virum, & cui Vos quoque RECTOR Magnifice, cæterique Patres, & Academia veſtra, plurimum debetis, ALEXANDRUM ERSKENIUM, unicum profecto Patriæ noſtræ & in comparabile decus. A nobiliſſimo Regum GUSTAVO, cum vindicias, opemque affictiſſimæ Germaniæ, auguſto illo & imperatorio animo, cui nulla ſæcula parem habuere, volveret & meditaretur, inter miniſtros conſiliariosque allectum. Miſſum initio, ut ſcitis, in vicinam Vobis urbem, mox cum victoriarum curſu in ulteriora Germaniæ evocatum, Erfordiæ atque Magdeburgi,

Regis

Regis ſui vice atque nomine tum agentem. In tanti illi Viri, & cui propinqua etiam ſanguinis cognatione devinctus erat, familiam receptus, benigneque admodum habitus eſt. In hujus ille domo, veluti ſchola erectæ cordatæque ſapientiæ, & delubro maximarum rerum, omnibus illis, quæ tum per Germaniam (cujus bonam partem, illuſtresque in ea Academias, Lipſiacam, Jenenſem. Witebergenſem, atque Juliam, ſimul peragrabat) gerebantur, intentus, tirocinium poſuit publicæ lucis. Obortis autem poſtea difficillimis temporibus, quando poſt exceſſum Maximi Regis, luctari cum Hoſte pariter, & ſociorum injuriis Suedici Imperii fortuna inciperet, relictaque Thuringia illuſtris patronus intimis belli, cujus tum clariſſimusq; fortiſſimusque dux atqus imperator JOANNES BANNERIUS erat, adhiberetur conſiliis, exercituique, & ille ſimul adeſſet, tandem autem in Pomeraniam recederet, Noſter quoque ad Vos, patris obitu, qui An. XXXV. Octobri M. denatus erat, afflictus, rediit, ſupremumque in jurisprudentia nominis virtutisque decus prenſare cœpit. Neque potuit idohercle, indoli induſtriæque ejus denegari. Poſtquam ergò privatim primum omnibus tentatus ſcholis, operis ſubactus, atque ſolitis examinibus, ab Anteceſſoribus veſtris vexatus fuiſſet, ad ſupremum publicumque, ut noſtis, Magnifice Domine RECTOR, & Academiæ patres, in curia civitatis veſtræ Agona parare ſe juſſus eſt. In quo ita quidem eruditionem ſuam probavit omnibus, ut nemo impetratum hoc vel facilitate quadam, vel gratia aut ſordibus, virtutis decus, vel per calumniam traducere, aut differre fuerit auſus. Intricatiſſimam enim illam, & contortæ ſubtilitatis cautionem, lectam olim in Auditorio Æmilii Papiniani, & ut vulgus Doctorum loqui ſueverat, nullo ſæculo intellectam, inter maximos Ictos, Ulpianum atque Paulum, hic ſibi adverſos, acerrimè agitatam, ſingulari cum eruditione pariter ac elegantia explicavit, publicoque eruditotum conſeſſui propoſuit ventilandam. Proinde defunctus, multa cum laude, hoc officio, Licentiati, ut vocamus, titulum atque inſignia, proximum ſupremo in Jurisdrudentia decus, ipſis Idibus Junii Anno ſæculi XXXVII. à Celeberrimo, & cujus ſparſum ubique clariſſimumque inter JCtos eminet nomen, MATHIA Stephani, Academiæ Veſtræ Anteceſſore optimè merito, ſolenniter adeptus eſt. Tum Præceptore illius & honoris hujus

hujus deribitore multum venerando, poſtea autem in eodem docendi munere amiciſſimo Collega. Quo ille vix inſignitus erat, quum, qui hactenus didiciſſet, ſtudiis aliorum, diſputantiumque certaminibus præſidere incæpit. Noſtis enim, RECTOR Magnifice cæterique patres, vix octiduo poſt, habitam ſub eo publicam de ſimulacris Imperantium, ſimulandique & diſſimulandi artibus, (ſi judicium rectum adhibeas, ac Reipublicæ ſalus poſtulet, temere non damnandis,) in Auditorio Veſtro Diſſertationem. Quas cum noſtra ætas, novo vocabulo Sincerationes appellaret, deluſamque ſe & graviter afflictam, ſi non everſam, iſtis arcanis quæreretur, ille, quantum jam olim in ſecretis Principum conſiliis valuiſſent, ex civilis prudentiæ ac rerum geſtarum latebris, hiſtoria tamen Romana, & Auguſti Tiberiique Schola imprimis, in cujus abdita intimosque receſſus Tacitus illum ſuus deduxerat, egregie tum monſtravit. Vix illud fecerat, cum occaſio illi exteros adeundi, apud Nobiliſſimum Juvenem, & honoris cauſa hic nobis nominandum, DETHLEVUM RUMORIUM, Equitem Holſatum oblata eſt. Quem ille eloquentiæ præceptis, omnique prudentia civili & juris cognitione ſic inſtruxit, ut utrum his ingenii dotibus, & virtute ſua, an antiqua Majorum laude, plusque præſtet hodiè in patria ſua ac commendari debeat, merito dubitari poſſit. Hunc ille, peregrinationem auſpicatus, primum in hanc Urbem Academiamque deduxit. In qua non ſolum in amicitiam præſtantiſſimorum quorumvis ingeniorum, quæ hic ſtudiorum cauſa ſiſtebant, & cum quibus familiaritatem deinceps omni vita coluit, atque amorem pervenit: ſed etiam veterem, cum maximis in hac Urbe Viris cultum, notitiamque renovavit. Ex his Petro Cunæo, celeberrimo excellentisque judicii & doctrinæ Anteceſſori, familiaris admodum factus eſt. Per aliquod hic tempus commoratus, luſtrato cum Nobiliſſimo Comite Belgio univerſo, Angliam primum, mox Scotiam, quæ avi illius materni patria fuerat, petiit, indeque in Gallias trajecit. Quod regnum, elegantiarum ac morum, litterarum & doctrinæ ſedem, quaqua patet, & usque ad Italiæ aditus, peragravit. Pariſiis autem, in ipſo Orbis compendio, pluſculum illum non ſolum Aula Regia, quam tum temporis animi vir excelſi, Armandus Richelii dux atque purpurati ordinis, ſumma pariter

cum

cum prudentia atque felicitate moderabatur; ſed & imprimis Hugo Grotius (quam ingens, quamq; illuſtre nomen!) detinuit. Quem ille Virum ſæculo ſuo majorem fuiſſe, ſemper adſeverabat. Cujus incomparabiles de Belli Paciſque jure libros nunquam fere deponere è manibus, & tanquam abſtruſiſſimæ prudentiæ & divini humanique juris ſacrarium ſolebat venerari. Quem ille, ut fuit comitate inſignis, poſtquam ſibi virtute ſua & eruditione conciliaverat, cotidie ferè acceſſit, & eo tempore, quod Amicis largiri conſueverat, de graviſſimis rebus diſſerentem audivit. Atque in hoc quidem ſtudiorum ſuorum ſeceſſu, cum alia potius omnia, quam in patriam reditum cogitaret, inſperato domum revocatus eſt. Commendatus quippe Vobis, Magnifice Domine RECTOR, ac Clariſſimi Patres, ad publicum in Academia veſtra munus, à sereniſſima SUEDORUM Heroina, Regum Reginarumque hoc ævo OPT. MAX. fuerat. Quæ tum ad liberandum Pomeraniam, ex lugubri ac fæda iſta Anarchia, quæ illam omnem, ex triſti celſiſſimi Principis, ultimique eheu! Patriæ Patris, BOGISLAI XIV. ad Deum, Majoresque ſuos, quorum virtute æternaque ſerie, per tot ſæcula immortale infractumque illuſtriſſimum hoc genus perſtiterat, exceſſu, bellique ſimul cladibus & ruina, qua nullam fere graviorem experti ſumus, inundaverat, regium illum ſublimemque & auguſtum animum convertit. In quo ſanctiſſimo opere, ab Academiæ veſtræ, eſt enim altera, vel potius ipſa litteratorum atque Muſarum hoc ævo Pallas, Veſtrique RECTOR Magnifice, & clariſſimi Patres, cura exorſam meminiſtis, ac devote agnoſcitis. Vos enim, ad indignam plane paucitatem redactos, cæterum derelictos omnes, & veluti ſub proſtratæ domus ruderibus luctantes, regio maximoque donario ſublevavit, atque ut hunc Vobis, inter Juris Anteceſſores, tertium adſociaretis, cupiit. Tantæ profecto benignitatis penitus ignarum, proculque tùm à ſeptentrione in media Gallia agentem; imo nec viſum hactenus AUGUSTÆ, neque, niſi cum laudaretur ipſius eruditio indoleſque, auditum. Fecerat illud Maximus Vir, (eſt enim illuſtre illius hic mihi repetendum nomen) ALEXANDER ERSKENIUS Cujus ſumma & in patriam noſtram communem, & iſtam Academiam veſtram, illam ſanctiſſimam natalium ipſius, hanc ſtudiorum olim almam matrem, merita, tum primùm luculentiſſimè omnium oſtendere

dere ſe & exſerere cœperunt. Huic ille, poſtquam è Galliis propero itinere redux factus, ordinique Veſtro inſertus eſſet, primam hanc, & cæteram omnem, quam illi ſuperſtruxit, unicè debuit fortunam. Divina verò quadam providentia eveniſſe mihi videtur, ut illius Viri, quem in juventute eorundem ſtudiorum conſacraneum habuit ac ſodalem, quem ſanctiſſima & innocentiſſima æmulatione adſequi ſe conatum eſſe ſæpiſſime narrare eſt ſolitus, & cui ſumma omnia ſemper deferebat, derelictam ſedem locumque occuparet. Eſt is, ut noſtis, magnum patriæ noſtræ & jurisprudentiæ lumen, David Mevius. Ex Academia Veſtra, in qua publico cum ſtudioſæ juventutis bono, & amore omnium, per aliquot annos vixerat, paulo ante ad ampliſſimum munus, in vicina Stralſundenſium, fortiſſima, & quoniam prima Cæſarei exercitus impetum fregit, clara imprimis civitate, evocatus. Publicum autem hoc docendi munus ipſis Nonis Novembribus, Anno ſæculi XXXIX. & ut moris eſt, gravi quadam diſertiſſimaque oratione auſpicatus eſt. In qua falſitatem veteris paradoxi, quod tum quoque multorum ori inhærebat, atque Inter arma leges ſilere, omnem exſulare in caſtris juſtitiam, paſſim querebatur, neque plebi hactenus, ſed & litteratorum vulgo impoſuerat, luculenter detexit. Anni ejusdem menſe, proximo ſcilicet Decembri, ſupremum in Jurisprudentia decus accepit, JCtique tituli ac nomine, ſolemni ritu publice eſt donatus. In Profeſſorio autem iſto & docendi munere, qua ille diligentia & fide verſatus ſit, noſtis equidem ipſi, RECTOR Magnifice, cæterique ACADEMIÆ Patres, neque multum illud à me debet celebrari Agnoſcunt enim quotidie illi & deprædicant, quos diſcipulos habuit, atque auditores. Quibus non publice ſolum profuit, ſed & domi privatim copiam ſui libenter, maximaque cum induſtria ſua, candore atque facilitate; illorum autem emolumento & doctrinæ incrementis, quotidie fecit. Teſtantur item Diſputationes plurimæ, quas in iſta cathedra veſtra, vel ab ipſo, vel ornatiſſimis doctiſſimisque juvenibus conſcriptas, publiceque habitas meminiſtis. In quibus, quod veterum aſſertionum usque quáque obſervans retinensque non eſſet, haud quidem veniam ſibi rogandam eſſe magnopere, unquam neceſſum arbitrabatur. Qualia multa fuiſſe noſtis, & inprimis non pauca ex illis, quibus CL. SALMASIUS,

eruditorum ſuæ ætatis facile Princeps, rara & incomparabili ingenii excellentia judiciique gravitate, jus noſtrum emendavit. Exſtimabat enim, miſerrimam in litteris ſervitutem eſſe, & docto homine indignam, tantum aliorum authoritati, numero ſe & inveterata ſolùm opinione tuentium, deferre, eaque ſic conſtringi veluti ac faſcinari, ut deprehenſo errore, quæ ſentias dicere ac profari non liceat. Perinde, ac ſi in magiſtrorum ſuorum ſententias, conceptis verbis, & ſolemni quod imperatoribus præſtari ſolet ſacramento, ſe obſtrinxiſſent. Quorum tamen ex turba, tanta tamque valida, nemo unquam exſtiterit, qui eam ipſe legem ſervaſſet, aliorumque pervellere dicta ſcitaque auſus non fuerit. Niſi etiam, quod pecorum id ritu fieri aſſeveraret, ſolum quæ antecedentium gregem ſequerentur, & aliquando etiam imperitiæ aut ſtupiditati hoc velamentum feliciſſime obtendi credebat. Ideoque memini ego, clariſſimum quendam ex ordine Veſtro, & ſimul ampliſſimæ in ſupremo cauſarum judicio dignitatis, Virum, cum deſignare illum nomine maxime convenienti voluiſſet, novum verumque Academiæ veſtræ Labeonem appellaſſe. Quippe veterem illum, ingenii qualitate & fiducia doctrinæ, cæterisque operis ſapientiæ, quibus ſe dederat, jam olim plurima innovare inſtituiſſe, Pomponius noſter refert, & non obſcure commendat. Talem ille in Profeſſorio ſe munere præſtitit. Neque minus interea, Academiæ totius curam amplexus eſt. Quam illa ea tempeſtate maximam, nulloque fere tempore majorem deſideravit. Si quidem tum reſurgere ex ruderibus ſuis conabatur, vosque tanquam fractas ex naufragio tabulas colligeretis. Imprimis autem vicinum illud, & in conſpectu Urbis veſtræ, ampliſſimum Hildenſis cænobii patrimonium, multum Vobis iſto anno negotii atque curarum faciebat. Quod, ultimum operum ſuorum elogium conditurus, benigniſſimus Princeps, BUGISLAUS XIV. Academiæ, ut ſalaria & ſudoris præmium, ex fructibus proventibusque prædiorum, quorum plurima patentiſſimaque ſub ſe continet, ſingulis annis perciperetis, donaverat. Bellicis calamitatibus indigne tum vaſtatum, ruinis deforme, pecorum hominumque abactu miſerum, omni denique inſtrumento ſpoliatum. In quo reſtituendo cum multis laboribus, multisque ſcriptionibus, conſultationibusque opus eſſet, ante omnes ille hic fidem ſuam ac diligentiam, in ipſo muneris

ſui

ſui aditu probavit. Quippe, poſtquam ſemel ſtudium omne, ſeque totum veſtræ Academiæ, cui ut ſanctiſſimæ matri, maximorum beneficiorum ſe reum obſtrictumque credebat, dedicaſſet atque devoviſſet, de ejus incremento ac promovendo bono, de tuenda illius jurisdictione, dignitate, ſalute, juribus atque privilegiis, ardore animi indefeſſo & ingentibus curis unice & quotidiè contendebat. Ad eam rem cum intimam ſingulorum minutiſſimorumque etiam, quæ Eandem concernerent, accuratam cognitionem ſumme ſibi neceſſariam eſſe videret, nihil ut eam adipiſceretur omiſit. Itaque ultimas origines Academiæ Veſtræ, leges ejus ac Statuta omnia, omnium facultatum ac ſcientiarum Annales, & quicquid per tot ibi volumina, tot ſcriniis diſtentum, Grammatophylacium veſtrum aſſervat, incomparabili labore penitus excuſſit. Quicquid in illis majores atque anteceſſores geſtum factumq; conſignaverant, ſumma diligentia atque ardore, ſæpe etiam continuatis usque in mediam noctem vigiliis, evolvit, judicio, quod inſigne habebat, ſimulque memoria complexus eſt, omneque ſuum fecit. Vix ergò de ulla re in Senatu Veſtro ſermo conſultatioque erat, de qua ille ſumma cum prudentia diſſerere non poſſet, quidque factu optimum, ex veteri memoria & præſentium temporum momentis, ſuaderet. Et noſtis ipſi, RECTOR Magnifice Clariſſimique patres, ſuavibus non quidem verbis & dulcis facundiæ leni aliquo flumine, ſed inſtar torrentis atque detonantis eloquii fragore, menteque excitata veluti & extra ſe poſita, abreptum, quid ex publico arbitraretur bono, diſſeruiſſe. Ad gravitatem enim quandam & morum ſeveritatem, procul à blanditiis omnibus, ipſo adſpectu, ſermone, inceſſu, habituque cuncto factus videbatur. Ita factum eſt ſæpenumero, ut quicquid ſolus ille dixerat, ſubinde omnes amplecteremini. Prudenter quippe ſuaſum, & ex uſu veſtro erat, quodcunque proferret. Iſtud autem invidos, malevolosque peſſime habuit, quos nunquam effugere præſtantes Viri poſſunt. Qui recentem illius felicitatem ægris oculis adſpiciebant, cunctaque ex unius arbitrio geri criminabantur. Hosque acerrime omnium in ſe concitavit, cum elapſo nondum biennio, RECTOR Magnifice, & Academiæ Patres, pridiè quippe Eidus Octobris Anno ſæculi XLI, principem clariſſimi ordinis veſtri locum, conſpirantibus ſuffragiis, ipſi deferretis. Novo, quod utrumque augebat livores, ad-

huc in Republica veſtra homini, Juveni præterea & inveſti. Quamvis ſtatim ab eo tempore meditari Virum, atque elegantiſſimam Virginem, ILSABEN HARTMANNAM, Ampliſſimi in Urbe veſtra Senatoris, CHRISTIANI HARTMANNI filiam, ambire, ſicque poſteritatis curam habere cœperit. Ut ſolent pii parentes, qui liberorum procreandorum animo & voto uxores ducunt, ut ex prole eorum diuturnitatis ſibi memoriam, in ævum relinquant. Atque illam quidem V. Idus Decembres, conſueto ritu, domum duxit, alteram autem iſtam, adeoque ſummam in Academia dignitatem, non niſi renitenti ſibi & reluctanti, imponi paſſus eſt. Quam, qua ille fide atque auctoritate, quo cum publico bono geſſerit, ipſi omnium rectiſſimè recordamini. Ab invidis autem, qui neſcio quam in illo ſeveritatem, aut quæ alia, carpebant, improbo ſimul ore ſcriptoque procaces, quomodo non innocentia ſolum, ſed & juſtiſſima indignatione ſe vendicaverit, conſtat, multumque repeti haud debet. Neque enim tam ſua, quam ſæculi, & illius dignitatis ſuæ, quæ potiſſimum læſa erat, intereſſe arbitrabatur, ut maleferiatorum hominum coherceretur, pœnasque daret ferocia. Vos RECTOR Magnifice, cæterique Patres, quanta cum cura ac adprobatione veſtra hunc magiſtratum geſſiſſet, tum quidem clariſſime omnium, teſtari mihi voluiſſe videmini, quando ſeptimo fere poſt, proximo autem ante obitum anno, altera vice ad eundem ipſum ſupremi honoris gradum eveheretis. Cæterum nihil ego nunc de officii illius gravitate dicam, quod in ſanctiori Eccleſiaſticarum cauſarum Conſiſtorio, Adſeſſor à Sacra Regia Majeſtate creatus, ſumma cum religione, per novem ferè annos ſuſtinuit. Nihil etiam de honoribus muneribus, quibus in JCtorum Collegio perfunctus eſt. Quod, veluti in celeberrimo quondam Græciæ totius Areopago & tribunali, reſponſa conſulentibus non ſolum reddit, deque privatorum litibus judicat, ſed etiam in diſcentium profectus cenſuram agit, præmiaque virtuti decernit. Quibus præſtantiſſimos Viros, illaque inſignia præclare meritos ipſo diribitore, & ut loquuntur Decano, aliquoties publice donavit. Quamvis aliud præterea Illius, privatum adverſus hoc ipſum Collegium meritum, exſtet, idque haud prætereundum mihi videatur. Cum enim ante illius tempora, nullis ſcriptis legibus uteretur, ſed incerto magis jure & conſuetudine gererentur

omnia,

omnia, ne diutius hoc fieret exſtitit ſuaſor. Ita evenit, ut conſignatis ab eo & velut rogatis, collegarum autem primum conſenſu, mox publica Academiæ authoritate firmatis, ſaluberrimis ſtatutis Legibusque, illud ipſum hodie fundatum ſit. In quibus ego pluribus non commorabor. Nondum enim dimittere me Academia vult, cujus ille decus ac ſalutem unice intendit. Quis enim præter illum, publico nomine Potentiſſimæ SEPTENTRIONIS Dominæ, optimæ & ſanctiſſimæ Principi, pro collato magnificentiſſimo donativo grates egit? Quis, quoties nobili aliqua clade de hoſtibus triumphatum, ultimo autem tandem, tot Germaniæ malis magnus ille impoſitus dies, & PAX ſancita fuit, præter Illum publicæ lætitiæ interpres vocem exſeruit? Quis, quoties ad Auguſtam noſtram; quoties ad illum celſiſſimorum Regni Tutorum ſublimem conſeſſum? quoties ad alios Heroes, ex illuſtriſſimis Proceribus ſereniſſimæ gentis Suedorum, Legatos, aut ſummos belli duces; quoties ad magnificum Conſiliariorum Status in hac provincia Collegium ſcribendæ deſtinandæque litteræ erant: (erant autem ſæpius, & fere quotidie) quoties vel agnoſcendum in illis vel petendum beneficium, aut etiam contra injurias vimque aliorum ſuppetiæ implorandæ fuerunt, præter Illum, ſtylum, & majori cum elegantia fructuque exercuit? Quis plures illo communi nomine legationes obiit? cujus ore ſæpius loquuta Academia eſt? cujus ingenio vindicem illa calamum vehementius in iſtos ſtrinxit, qui jura illius ac libertatem inminutum ibant? Offenſiones pro publico bono, etiam maximas, nunquam detractavit, communi commodo privatum ſemper poſtpoſuit. Adderem plura, RECTOR Magnifice, Vosque Academiæ Patres, niſi mihi non tam Veſtri, qui brevitatem potius meam culpabitis, quam aliorum ratio habenda videretur. Tot enim negotiis unum hominem, eodemque tempore, & eundem aliis quoque diſtrictum, morboque ſatis gravi, ut mox ſubjungam, & diuturno affectum, parem fuiſſe, vix mihi fidem plurimi habebunt. Præter domeſticas enim occupationes, quæ patribus familiarum incumbere ſolent, etiam reſponſa conſulentibus dedit, reisque præſidium, ſumma cum integritate, præſtitit. Quam ego operam inter laudes ipſius non recenſuiſſem, niſi hos cauſarum patronos, quique voce ſua, aut ſcripto, laborantium ſpem,

vitam vel poſteros defendunt, tanti ſane & longe maximi Auguſti Imperatores Leo & Anthemius feciſſent. Quippe, qui non minus eos providere humano generi reſcripſerunt, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent. Utcunque igitur & hoc labore obrutus eſſet, æque tamen ille aſſiduus in evolvendis his reperiebatur, quæ ſive ultimæ remotæque antiquitatis eſſent, ſive hæc Batavia, prodiga illuſtrium operum mater, quotannis in lucem publicam mittebat. Imprimis autem in legendis ſacris, ac ſcripturarum divinitus inſpiratarum commentariis occupatus erat. Adeo etiam, ut, quo majori cum fructu hic verſari poſſet, ad Hebræas quoque litteras (Græcarum enim fuit peritiſſimus) animum adjecerit. Quippe à prima juventute ſe ad Theologiam propendiſſe, ejusque miros ſemper retinuiſſe amores, cum Deus non obſcuris ſignis juri eum deſtinare videretur, ſæpe ſolitus eſt referre. Quapropter, etſi aliam ab ipſo perſonam publicum hoc munus, utque non pietatem, ſed Legum Romanarum profiteretur notitiam exigebat, domi tamen ille ſuæ, non minus ſacris operabatur, & utrumque, divinam humanarumque rerum ſcientiam, ſuaviſſimo conſortio, jungebat. Quod forſan poſt iſthæc omnia, quæ enarravi nemo vel exſpectet, vel exigere debeat, libros quoque plures, pulcherrima ingenii monumenta, bono publico & juventutis compoſuit. Quorum aliqua & ſane non pauca, ut noſtis RECTOR Magnifice atque Academiæ Patres, publice apud Vos proſtant, typisque exſcripta ſunt, alia inedita manſere. Inter quæ ad Quinti Livii, Rerum Romanarum florentiſſimi ſcriptoris, eloquentiæ & fidei præclari imprimis, qui ſuperſunt libros, nitidiſſimæ exercitationes reperiuntur. In quibus ille id potiſſimum egit, ut præter civilis prudentiæ præcepta monitaque, ad ipſius Juris Romani initia fontesque cuncta reduceret, & quanta inter publicas & privati juris actiones intercederet cognatio, demonſtraret. Quos libros, antequam ultimo patriam relinqueret auſpicatus, mox in contubernio Nobiliſſimi illius Equitis Holſati, quem ſupra memoravimus, abſolvit. Fuerat autem ad hunc laborem nobiliſſimo exemplo illius, quem ſemper æmulatus eſt celeberrimi Viri, quique idem in Tacito non ita pridem feliciſſime aggreſſus erat, incitatus. Omnium tamen illius operum ut poſtremum, ita cultiſſimum eſt, quod de Jure Maritimo omnique Re Nautica, non ex Jurisprudentia ſolum,

ſed

ſed & univerſa antiquitate, & Clariſſimorum etiam noſtri temporis Virorum monumentis, concinnavit. Quod vix ultra ſui dimidiam partem excuſum, hæret nunc ſub prælo, ac veluti immaturus partus, parentis ſui fata luget atque deplorat. Qui non ſenectute ipſi ultima, aut ſubito mortis genere, ſed teſtudineo illo, neque minus tamen malefico & hoſtili, ereptus eſt. Tabe ſcilicet, infeſto maxime litteratis morbo, quique plurimos eorum ab omni ævo, lentis, ut de Tiberii crudelitate Tranquillus Auguſtam loquentem inducit, maxillis abſumſit, & ad tumulum deduxit. Hanc ille, ſive in ipſa infantia, ſive ex ſtudiorum poſtea aſſiduitate ac vigiliis contraxerit, tantas ſane radices illud jam egerat malum, cum exſerere vires ſuas, atque ſe prodere inciperet, ut nulla arte, Medicique peritia poſſet expelli. Qui quidem ipſi valetudinis noſtræ conſulti, vix ſalvum ei ex Galliis reditum pollicebantur, poſtquam vero ad nos redux factus eſſet ſingulis fere autumni, aut redeuntis æſtatis temporibus, ut de Mathematicis Annæus ludit, efferebant. Duravit ille tamen contra ſpem omnium, divina benignitate, usque dum, quod tam diu iſti prædixerant, nobis triſte ac metuendum fuit, IV. Kal. Martias, anno ætatis ejus circiter XXXVII. & ſex menſium evenit. Quo tempore quantum ego doleo, quod adeſſe Tibi coram non potuerim, Franciſce Stypmanne! Præſidium hactenus meum & dulce decus, Franciſce Stypmanne. Decus tuorum, decus amicorum, decus Academiæ, Franciſce Stypmanne. Cognate idem & præceptor, ſive potius, parens ſanctiſſime, Franciſce Stypmanne. Qui ingenti beneficiorum tuorum adverſus me mole effeciſti, ut recurrat ſemper, mihique ſe offerat ſuaviſſimum nomen tuum, Franciſce Stypmanne. Qui in domum tuam ac Muſæum me recepiſti. Qui me eloquentia, civili prudentia & juris cognitione, qui diligentia tua me meliorem reddidiſti. Qui ſevera lege me proficere voluiſti. Qui maluiſti, ut pro iſthac aſperitate tua, (cujus ſi quis exemplum deſiderat, in Q. Cæcilio, Romano equite, quod vitarum illuſtrium notavit ſcriptor, inveniet) nunc tibi gratias potius ampliſſimas agerem, quam indulgentia blanditiisque à quibus tota vita abhorruiſti, quærerer corruptum. Qui ignorare me amorem affectusque tuos ſemper paſſus es, neque prius pandere voluiſti, quam cum ad maturitatem quandam ſtudia mea pervenire Tibi viderentur. Qui inter præcipua

Digitized by Google

Votorum tuorum in hac vita, (recordor enim hic ſuaviſſimorum verborum tuorum) mei curam poſuiſti. Deſideraverunt aliquid in noviſſima luce oculi tui, quæſiiſti me, accire juſſiſti, ſed non inveniſti. Utinam aſſidere valetudini, fovere deficientem, ſatiari vultu complexuque contigiſſet. Excepiſſem certe mandata, vocesque quas penitus animo infigerem. Sive potius, cum alia ad me, quam quæ toties de animi cultu, de conſcientiæ integræ fiducia, de conſtantia pectoris, de ſpernenda quoque obtrectatione & invidia, (quoniam idem meum fatum fore præſagiebas, quod tuum fuerat) ſapientiſſime monueras, loqui non poſſes hæc ſaltem, veluti ſupremo fidei commiſſo mihi repetita inculcataque delegaſſes. Quamquam quid eſt, quod illa adeo me crucient atque afficiant? Videor mihi lectulo tuo adſtare præſens. Videor intueri emaciatum illud corpuſculum, longe, longe plus, quam cum triennio abhinc à te diſcederem, extenuatum, miſerumque. Merum funus, merum cadaver, vix oſſibus ſuis hærens, ipſam profecto mortis imaginem atque horrorem. Videor mihi conſpicere adſidentes lectulo Collegas, atque Amicos, teque audire mihi videor ſingulis valedicentem. Videor denique videre Te, dum ſupremum Tibi tempus imminere ſentis, reſignata Deo Academiæ, quam ipſa vita habuiſti cariorem, domus tuæ atque tuorum, mei etiam, cujus in extremis oblivíſci non potuiſti, ô pater, adeoque abdicata ſic omni rerum humanarum cura, ad divinam miſericordiam unice converſum, illique pœnitentiam omnium, ſi quæ unquam deliquiſſes, errorum ac imbecillitatum, profitentem. Adverſus quæ, etſi graviorum criminum rei non ſumus, nunquam tamen ſatis cauta mortalitas invenitur. Coram qua tremenda majeſtate non anguſta ſolum, quod Romanus dicebat ſapiens, innocentia eſt, ad legem bonum eſſe, ſed plane nulla. Sic igitur expiatis vitæ noxiis, cœleſti epulo firmatum, plenum divino ſpiritu, & omni conſecratum cerimonia, (ô utinam deſinendum mihi hic eſſet!) Videor mihi videre, in Fratris & materterarum tuarum, inter quas amantiſſima genetrix mea ætate officioque prima eſt, in cariſſimorum hominum amplexibus ac brachiis, placidiſſimo exitu Te exſtingui, animamque ad cœlos, unde venerat, creatoremque Deum redire. Solutus es corporeis illis vinculis. Reliquiſti illud putre & abjectum domicilium. Abjeciſti ſarcinam

nam illam, tam gravem tamque moleſtam Liberatus es iſto carcere, liberatus tot cruciatibus. Nulli Te amplius pulmonum dolores, nulla cruenta tuſſis, nulla reſpirandi difficultas vexabit. Qui cœlitum ſacro cœtui immiſtus, dulciſſimis amplexibus utriusque filiolorum, quos lepidiſſimos puſiones, breves amores tuos, ut loqui ſolebas, & infauſtos, illuc præmiſiſti, ardentiſſime inhærens, frueris æterna felicitate atque gloria. Et ſatis ille nunc beatus degit, RECTOR Magnifice, atque clariſſimi patres. Noſtrum tantum illud vulnus, noſter, quos hic deſeruit, afflictosque reliquit, iſte dolor eſt. Agnoſcitis enim veſtram & Academiæ jacturam. Tu verò imprimis ademtum luges, Vir admodum Reverende, Joannes Beringi. Qui Collegam Tibi, qui affectu fratrem, quem in hac Batavia ſuaviſſimum habuiſti contubernalem atque amicum, immaturo hoc funere ſubtractum ſentis. Scio etiam vehementer animum tuum commoveri, Joachime Volſchovi, Vir ampliſſime. Qui unicus fere ex eorum numero reſtas, quorum in humeris, ſævo illo & infeſto virtutibus tempore, quando Academiæ Veſtræ cum Peruſiis, meris monſtris tyrannorum, luctandum erat, quando grande illud conſtantiæ patientiæque documentum dandum fuit, publica Muſarum veſtrarum ſalus, cespitans atque tremens, innixa recubuit. Qui Franciſcum Stypmannum, non tam affinitate, ex cognatæ illius Tibique nuptæ, amoribus orta, quam indolis præſtantia conciliatum, enixe ſemper, & ab ipſa juventute commendatum Tibi habuiſti. Sub quo ille ſtudiorum præſide, primum in jurisprudentia poſuit tirocinium, ſupremum autem decus, ac in eadem dignitatis gradum poſtea adeptus eſt. Cui feſſo ſenectute & tot pro Academiâ exantlatis graviſſimis laboribus, atque veluti Veterano, ille ſucceſſit, cervicemque publicæ moli ſuppoſuit. Nulli autem ille occidit flebilior, quam Tibi, Conſultiſſime Cognate Jacobe Stypmanne, qui Germano tuo impoſterum orbatus vives. Qui illum, cui Te non arctiſſima ſolum ſanguinis neceſſitudo, & cujus infinita, ut noſti, jurisprudentibus æſtimatio eſſe dicitur, ſed etiam beneficia devinxerant, quemque fratrem non ſolum, ſed & præceptorem habuiſti, ereptum mortuumque conſpicis & deploras. Si mortuus ille poterit dici, qui tota hoc vita egit, ne moretur. Qui in

S 5 dome-

domeſtico amicorum præconio, qui in civium ſuorum honeſta recordatione, qui in hujus & ſequentis ævi memoria, conſecratisque ingenii monumentis ſemper eſt ſuperfuturus. Qui in annalibus denique Veſtris, RECTOR Magnifice, Clariſſimique patres, qui in Veſtro tabulario ac Archivo, in tot ibi conſignatis manu ſua fidei ac ſollicitudinis publicæ documentis, ſuo exemplo, ſicut ille clariſſimo Anteceſſorum ſuorum, Rungiorum, Meviorum, Stephanorum, Gerſchoviorum, Volſchoviorum, excitatus erat, ad tuendam Academiæ, (cui nova, ſub tutela & fortunatiſſimis inclyti Suedorum imperii auſpiciis, atque majora indies incrementa pollicemur & vovemus) ſalutem, poſteritati prælucebit, vivetque ſemper & æternum ſuperſtes erit. Magnifice Dn, RECTOR cæterique Academiæ Patres,

DIXI.

SCRIPTA.

Panegyricus ad CHRISTINAM Reginam Sueciæ: *Gryphisvv.* 1645. in fol.

De Salario Clericorum: *ibid.* 1650. in 8.

Tractatus de jure Maritimo & Nautico: *ibid.* 1652. in 4.

Tractatus de Referendariis & eorum officio in legendis Actis cum aliis nonnullis opuſculis: *Stralſundi* 1663. in 12.

Diſcurſus Politicus de Sincerationibus: *Roſtoch.* 1672. in 12.

Inter Diſputationes ab eximio hoc JCto habitas, in alma Academia Gryphisvvaldenſi, invenitur de Nobilitate: De Antichreſi: De concurſu Actionum ejusque effectu: De Defenſione: De jure exequiarum &c.

VITA

VITA GEORGII RICHTERI,

JCti, Reip. Noriberg. aliisque Imperii Ordinibus à Conſiliis, & Academiæ Altorphin. Pro-Cancellarii,

Anno ſalutis CIƆ IƆ CLI. ætatis ſuæ LX.

piè atque placidè defuncti,

Deſctipta, Ejusdemque Epiſtolarum operi præmiſſa,

à Beati Filio,

JOH. GEORGIO RICHTERO,

JCto. Reip. Patriæ aliisque Imperii Ordinibus à Conſil.

PROOEMIUM.

MAgni ſemper interfuiſſe, ac etiamnum intereſſe ad decus & laudem tum Literarum, tum ipſorummet Literatorum, Memoriam Clarorum Virorum conſervari, ut oſtendantur poſteritati, conſtans ſemper inter æquos Virtutis & Honorum arbitros fuit ſententia. Quod probe intelligens eximium illud eruditæ Bataviæ ornamentum, JANUS DOUSA, in Epiſtola quadam ad PAULUM SCOVARTIUM BUSANVALIUM, Chriſtianiſſimi Francorum Regis apud Illuſtres Provinciarum Confœderatarum Belgii Ordines Legatum, vel in primis ſeculi pudorem periclitari exiſtimavit, ſi illi, qui multis vigiliis non tam ſibi quam Patriæ proſpexerunt, eoque de Repub. potiſſimum bene meriti eſſent, eorum incuria vel ignavia quaſi intercidant, quibus ipſi in vivis ſingularis induſtriæ exempla fuerunt.

Et quidem, utut hæc præſens Ætas noſtra ſuſpicienda ſit ob fœcunditatem, quæ tam multos hodiè Excellentes Vi-

Viros, & vera ingenii ſui gloria ſplendidiſſimos protulit, tamen vel ob ſolam incuriam Virtutum deflenda videtur, qua multi hodiè diu ignorarentur, & ingrato penitus ſilentio obruerentur, niſi eos nonnunquam ab indebita oblivione vindicaret felix & religioſa quorundam induſtria. Ne longe abeamus, decennium fere nunc eſt, quod non ſine publico luctu vivere deſiit GEORGIUS RICHTERUS, JCtus, inclytæ hujus Reipub. Noribergenſis, & aliorum Imperii per Germaniam Ordinum Conſiliarius dexterrimus, Univerſitatisque Altorphinæ Pro-Cancellarius quondam laudatiſſimus; cujus Viri præclara in Patriam merita ne Famæ diutius ſubtraherentur, non pauci hactenus fuerunt, qui VITAM ejusdem, quam Deo pro captu imbecillitatis humanæ acceptam, Patriæ frugiferam, ſibi denique ac ſuis vixit honorificam, Poſteritati publice commendandam ſerio ſuaſerunt, conſilio certe non minus benevolo & æquo, quam pro temporis ratione tuto; quippe quod laudes Hominum mortem inchoare, quia cum corpore moritur Invidia, quæ cum corpore, velut certa & indiſcreta Honorum pediſequa, vivit, ipſa loquatur Experientia. Quo reſpiciens acuti ingenii magnique judicii Vir, FRANCISCUS PETRARCHA, THOMÆ MESSANENSI, Amico familiari, author fuit, ne Famam ante Mortem appeteret, quum à Morte demum hominis vivere incipiat humanus favor, & vitæ finis principium ſit gloriæ, quæ ſi ante cœperit, pro re quadam ſingulari & intempeſtiva habendam. Qua ſententia ut eo melius animum Amici imbueret, cujus Famæ ſimul conſulere ſtuduit, *Redde Tu, mihi,* inquit, PYTHAGORAM, *reddam Tibi illius ingenii contemptores. Redeat in Græciam* PLATO, *renaſcatur* HOMERUS, *reviviſcat* ARISTOTELES, *revertatur in Italiam* VARRO, *reſurgat* LIVIUS, *refloreſcat* CICERO; *non modo ſegnes laudatores invenient, ſed mordaces etiam & lividos detractores, quod quisque ſuis temporibus expertus eſt.*

Ut itaque in eo, quod Viris Claris, & qui in ſpem Reip. curarumque ingentium ſepoſiti fuerunt, debetur, pergamus, & id agamus, quod inſtituimus, ſpes nos habet, amice Lector, gratam Tibi acceptamque futuram commemorationem eorum, quæ de RICHTERI Patria, Parentibus, Educatione, Vita, Moribus, Morte, partim ipſi nos præſentes cognovimus, partim exploravimus, & certo

veroque

veroque judicio comperimus. Inprimis vero hic præfari liceat, quæ JOACHIMUS CAMERARIUS, non incelebre inter Literatos Nomen, accuratæ ſuæ ac diligenti Narrationi de PHIL. MELANHTHONIS Vita cautelæ loco præmiſit, eadem, qua ille, ſpe freti, ſi quædam Narrationi huic aſpergentur cum negotiorum, tum perſonarum mentiones huc pertinentes, vel non abhorrentes certe ab inſtituto, neque hoc reprehenſum, ſed potius ſententia bonorum & non inhumanorum omnium iri probatum.

Natus eſt GEORGIUS RICHTERUS Anno reparatæ per CHRISTUM ſalutis MD XCII. d. IV. Maji, quæ dies Patriam eum habere voluit Civitatum Imperialium Metropolin, NORIBERGAM. De hujus Civitatis Amplitudine, Statu Reipubl. Ariſtocratico, quo inter omnes Germaniæ Civitates cum paucis prope hæc ſola Optimarum Imperio regitur, quum reliquæ fere populari ſive Democratico regantur atque adminiſtrentur Conſilio, & in primis de Senatorum Nobiliſſimorum inſigni Prudentia, qua Rempubl. hactenus gubernarunt & gubernant etiamnum, aliquid impræſentiarum commemorare tantò erit difficilius, quanto copioſius non minus quam elegantius hac de re edita reperiuntur in MELCHIORIS GOLDASTI doctiſſima Præfatione ad opera Viri & genere & doctrina Illuſtris, BILIBALDI PIRCKHEIMERI, Conſiliarii quondam DD. MAXIMILIANI & CAROLI V. IMPP. Equitis Aurati, Senatoris & Patricii NORIMBERGENSIS. Quibus ſi adjungas CONRADI RITTERSHUSII, JCti, ſeculi ſui PAPINIANI, erudītiſſimum Commentarium de Ejusdem PIRCKHEIMERI Vita, una cum FRANCISCI IRENICI Germaniæ Exegeſeos lib. 3. cap. 105. De Nobilitate Præſtantia ac Politia Noribergenſium; ut & SCIPIONIS GENTILIS, JCti Celeberrimi, Laudationem Funebrem in obitum Summi Viri, Dn. HIERONYMI PAUMGARTNERI, modò laudatæ Reipubl. Noribergenſis Duum-Viri primarii, & Præturæ Imperialis Adminiſtratoris: & denique intimiori eruditione refertiſſimam Orationem Nobiliſſimi Viri, CONRADI HESSE, quam An. cIↄ Iↄc LIII. Altorphii Utriusq; Juris D. creatus habuit, merito ſuo ſtatim publico donatam illico reperies, poſt Famam publicam, qua Orbis applau-

applauſum Reſpubl. hæc pace belloque meruit, plura im-præſentiarum dicere velle, nihil aliud eſſe, quam Soli meridiano radios ſuperaddere.

Patrem habuit Virum Honeſtum & Integerrimum CONRADUM RICHTERUM, Civem Noribergenſem, qui florentiſſimo tunc temporis opificio, quo pannis Anglicanis poliendis præ cæteris operam dedit, victum ſibi ſuisque neceſſarium quæſivit.

Matrem Conſtantiam, CONSTANTINI BONNECROY, Civis Antverpienſis Filiam, cujus infantiam Parentum præſidiis præmature orbatam, inſuper & Hiſpanica Inquiſitione divexatam, ut & reliquam ætatem Noribergæ velut in portu exactam voluit divina PROVIDENTIA; Cui multum ſe debere præcipuè in paulo adultiori ætate ſæpe profeſſus eſt, quod licet exilem & ignobilem, honeſtum tamen ortum Parentum & Avorum ſuorum memorare liceret; non neſcius optimo Jure, & inprimis *Sapientum Calculo* inſuper haberi, qui fortunæ beneficio divites, animum habent omnium bonarum rerum inopem. & qui Natalium ſtemmatis ſeſe venditant, quum alioqui nihil habeant Nobilitatis, præter Imagines. Hujus veritatis intuitu bina illa Orbis Europæi Sydera, THOMAS MORUS & ERASMUS ROTERODAMUS, olim ſibi invicem non ſemel gratulati ſunt, quorum ille ſatius eſſe duxit, poſteris ſuis Pietatis Amorem, quam inſignium Honorem relinquere; hic vero Magnificentius eſſe Nobilitatem promeruiſſe, quam à Majoribus accepiſſe intrepide aſſeverarit; quippe quod nunquam deſit illi ſanguinis prærogativa, cui in ſuo ſibi pectore calet & ad laudem fertur.

Eminuit autem ſtatim in RICHTERO noſtro adhuc Puero ſeptem annorum mira ingenii præſtantia, quod & celeriter perciperet atque comprehenderet, & quæcunque tradebantur, fideliter meminiſſet. Quo ipſo anno, nimirum 1599. Præceptoris dexterrimi & fideliſſimi, VITI BURGERI informationi publicæ quotidianæ, Parentum & Amicorum ſuaſu commendatus, brevi tantos ſtudiorum progreſſus fecit, ut decimo ætatis anno, in Examine publico conſueto, præſentibus Nobiliſſimis Reipubl. Noribergenſis Senatoribus & Scholarchis, Dn. ANTONIO GEUDERO & Dn. GEORGIO VOLCKAMERO, de Utilitate & Neceſſitate Grammatices cum laude peroraverit.

Quam

Quam ob rem, præcipuè ob mores ſimul optimos & ſuaviſſimos, certatim amabatur, & in multorum oculis & complexu tenebatur. Quinquennio inſuper inter amuſſitatæ Indolis dotes & Præceptorum domeſticorum curas feliciter exacto, ad ſtudia Academica adſpirare cœpit. Tantum nimirum poteſt mens ſub fauſtis enutrita penetralibus: eoque Parentum Diſciplina ac Severitas pertinet, ut verecundia quadam & ſanctitate temperata liberorum natura, ingenti ardore, modò non immaturo, ſtatim præclaræ cujusdam artis altiorumque Diſciplinarum famam quærat. Id quod apprimè etiam ceſſit RICHTERO, quippe qui, Diſciplina domeſtica rectitudine innatæ Indolis cum fructu ſuperata, bonam mentem inter ſtudiorum elementa perdere noluit, ſed in ſpem altiorum præclara animi divinatione totus ingreſſus eſt, alieniſſimus ſimul ab Icaris illis Academicis, quorum rudes animos & imparatos ſæpè mirum in modum vexat, tandemque perdit ſpei impatientia ac cœca feſtinatio, quaſi laudi ipſis & non vituperio ſit, Ætatis & annorum legitima ſpacia virium fiducia antevertere. Et ſane perquam difficile eſt hac Ætatis ſimul & ingenii luxuriantis intemperie in medio ſe continere, hoc eſt, neque eorum premere veſtigia, quos ad veterum imitationem ſe componere degeneris animi humilitas & virium deſperatio non ſinit: neque eos ſequi, qui Pueri & Adoleſcentes in Juvenum, Juvenes in Virorum ſtudia cogitationes ſuas propellunt, &, ut CUNÆUS, JCtus & Orator longè celeberrimus, alicubi verbo rem complectitur, *præcipitant curas.*

Tametſi igitur RICHTERUS noſter Anno cIↄ Iↄc VII. menſe Januarii, anno ætatis decimo quinto, Illuſtrem illam Sapientiæ arcem ALTORPHIUM Noricorum adiiſſet, à Lectionibus publicis tamen tantiſper abſtinuit, donec Claſſium ibidem Magiſtri (quos Academia illa tunc temporis magno diſcentium fructu habuit) in primis MAURITIUS & WALDUNGUS, ſtudia Adoleſcentis ſtudiorum amore flagrantiſſimi ad majorem maturitatem proveherent. Quod & ipſum Numinis Divini faventia perquam feliciter ceſſit. Quippe qui brevi tempore, & non integro biennio poſt, cum laude acceſſit ad Lectiones publicas, tempusque non pœnitendum Philoſophiæ Ariſtotelicæ impendit, ſimulque inter maxima beneficia DEI Opt. Max. quæ in ſe contulit, lætâ gratulatione habuit, quod tanti

tanti Nominis Profeſſores eo ipſo tempore, nimirum in Oratoria Facultate MICHAEL VIRDUNGUS, in Logicis & Politicis MICHAEL PICCARTUS, in Ethicis GEORGIUS QUECCIUS, in Phyſicis & Metaphyſicis ERNESTUS SONERUS, ipſi contigiſſent, quorum cura etiam tantum profecit, ut primum Philoſophiæ gradum, Baccalaurei nimirum, merito ſuo publice adeptus ſit. Ad quem honoris gradum ſtudioſi noſtri hodie ne ſemel quidem reſpiciunt, niſi cum forte aliud agere non poſſunt, aut cum, ut ille ait, aliquis pluvius intervenerit dies; multisque hac tempeſtate in tanto omnis Doctrinæ apparatu evenit, quod iis, qui dubiis epulis interſunt ſtomacho faſtidioſo.

Quantos vero Noſter, poſt collatos Baccalaurei honores, in Philoſophia porrò fecerit profectus, non tantum variæ Diſputationes ejusdem Philoſophicæ publicè cum admiratione habitæ, ſed & tredecim Volumina Manuſcripta Philoſophica, in præcipuos Libros ARISTOTELIS, quæ ſua manu, ac privata diligentia, ſummoque ſtudio collecta reliquit, abundè teſtantur.

Hæc neceſſaria Philoſophiæ purioris ſupellectile inſtructus, Anno cIↃ IↃ CXI. ætatis decimo nono, ad Jurisprudentiæ ſtudium, gradu haut deſultorio, animum eò felicius applicuit, quo Excellentiores Juris privati Doctores & Profeſſores, incredibili ſua cum voluptate in eodem Athenæo Altorphino adire licuit; ſiquidem publicè docentes ſedulo audivit, præſertim in Inſtitutionibus Juſtinianeis D. CONRADUM DINNERUM: in Pandectis D. CONRADUM RITTERSHUSIUM, in Codice D. SCIPIONEM GENTILEM, &c. Trigam certè JCtorum Celeberrimorum, & qui ſi Scævolæ, Ulpiani & Papiniani temporibus vixiſſent, vel tantis Viris paria facere, eorundemque gloriam adæquare facilè potuiſſent. Medicis olim ad Commendationem Artis ſuffeciſſe publice creditum eſt, ſi dicerent, ſe Alexandriæ vixiſſe. Longe certe meliori titulo ac jure potiori tunc temporis variarum Nationum diverſarumque facultatum ſtudioſis de Celebri iſthoc Sacrario Altorphino judicare, idque pronunciare licuiſſet, in quo non Medicina duntaxat, ſed omnes omnino Diſciplinæ ſumma fide, ſummaque dexteritate colebantur. Hinc nemo Studioſorum itineris pretium ſe tuliſſe exiſtimabat, niſi hinc, ex hac Sapientiæ Sede Exemplum petiiſſet melioris cujusdam cultiorisque doctrinæ.

Etſi

Etſi igitur non neſciebat RICHTERUS noſter in cauſarum controverſiis judicandis variisque caſibus decidendis, quem finem præ cæteris ſibi propoſitum habent Legum Studioſi, vim Orationis, nihil admodum vel parum valere, quemadmodum in Medicina Celſus elegantiis & Sententiarum Luminibus morbos non curari cenſebat, ac proinde in Jure, quod JUSTINIANUS Medicinæ ſimile facit, decidendis Litibus, inutilem eſſe dicendi apparatum: Oratoriam tamen Facultatem, ejusque nutricem PHILOLOGIAM, cum BUDÆO velut alteram conjugem ſuam impenſe adamabat, fructus ac dotes hujus ſtudii eximias, licet Fori litigiis inconvenientes, Reipubl. tamen inpoſterum, cui ſtudia ſua potiſſimum adoleſcens jam dicaverat, vel inprimis conducibiles atque decoras fore ſibi perſuadens. Intelligebat quidem pro mira ingenii ſagacitate, Philologum, quicquid eſt omninò liberalium artium, haurire debere, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos qua Græcos, qua Latinos evolvere, neque in his tantùm, ſed & in Medicorum Aphoriſmis, JCtorum Rubricis, & Adytis Theologiæ, non ut transfugam, ſed ut exploratorem deprehendi: Interim tamen tempus per omnia Grammaticorum, Poëtarum, Oratorum, &c. pulpita trahere, nunquam animo ſedit, neque permittebat hoc principale ejus ſtudium tunc temporis JURISPRUDENTIA, nec Præceptorum dexterrimorum excoctum conſilium. Itaque alterum tantùm oculum Literis humanioribus ſe debere exiſtimavit, alterum Jurisprudentiæ, & huic ſæpe utrumque. In quibusdam Literis conſilium ſecutus eſt, quo Architecto ſuo præivit Vitruvius; *Non equidem debet*, inquit ille, *nec poteſt Architectus eſſe Grammaticus, ut Ariſtarchus, ſed volo eum non eſſe ἀγράμματον; nec Muſicus, ut Ariſtoxenus, ſed volo eum non eſſe ἄμουσον; nec Pictor, ut Apelles, ſed volo eum eſſe γραφίδος non imperitum; nec Medicus, ut HIPPOCRATES, ſed non ἀνιατρολόγητος; nec in cæteris Diſciplinis ſingulariter excellens, nec verò parum peritus.*

Linguæ Græcæ præ cæteris aſſiduam operam navavit, inque ea tantos fecit progreſſus, ut Orationem Græcam ſcribere, &, ſi opus fuiſſet, non ineleganter Græcè loqui potuerit, quam ob rem ſupra laudato ANDREÆ DINNERO, JCto, qui Linguam hanc cum admiratione calluit, longè fuit

T charuſ.

Etſi igitur non neſciebat RICHTERUS noſter in cauſarum controverſiis judicandis variisque caſibus decidendis, quem finem præ cæteris ſibi propoſitum habent Legum Studioſi, vim Orationis, nihil admodum vel parum valere, quemadmodum in Medicina Celſus elegantiis & Sententiarum Luminibus morbos non curari cenſebat, ac proinde in Jure, quod JUSTINIANUS Medicinæ ſimile facit, decidendis Litibus, inutilem eſſe dicendi apparatum: Oratoriam tamen Facultatem, ejusque nutricem PHILOLOGIAM, cum BUDÆO velut alteram conjugem ſuam impenſe adamabat, fructus ac dotes hujus ſtudii eximias, licet Fori litigiis inconvenientes, Reipubl. tamen inpoſterum, cui ſtudia ſua potiſſimum adoleſcens jam dicaverat, vel inprimis conducibiles atque decoras fore ſibi perſuadens. Intelligebat quidem pro mira ingenii ſagacitate, Philologum, quicquid eſt omninò liberalium artium, haurire debere, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos qua Græcos, qua Latinos evolvere, neque in his tantùm, ſed & in Medicorum Aphoriſmis, JCtorum Rubricis, & Adytis Theologiæ, non ut transfugam, ſed ut exploratorem deprehendi: Interim tamen tempus per omnia Grammaticorum, Poëtarum, Oratorum, &c. pulpita trahere, nunquam animo ſedit, neque permittebat hoc principale ejus ſtudium tunc temporis JURISPRUDENTIA, nec Præceptorum dexterrimorum excoctum conſilium. Itaque alterum tantùm oculum Literis humanioribus ſe debere exiſtimavit, alterum Jurisprudentiæ, & huic ſæpe utrumque. In quibusdam Literis conſilium ſecutus eſt, quo Architecto ſuo præivit Vitruvius; *Non equidem debet*, inquit ille, *nec poteſt Architectus eſſe Grammaticus, ut Ariſtarchus, ſed volo eum non eſſe ἀγράμματον; nec Muſicus, ut Ariſtoxenus, ſed volo eum non eſſe ἄμουσον; nec Pictor, ut Apelles, ſed volo eum eſſe γραφίδος non imperitum; nec Medicus, ut HIPPOCRATES, ſed non ἀνιατρολόγητος; nec in cæteris Diſciplinis ſingulariter excellens, nec verò parum peritus.*

Linguæ Græcæ præ cæteris aſſiduam operam navavit, inque ea tantos fecit progreſſus, ut Orationem Græcam ſcribere, &, ſi opus fuiſſet, non ineleganter Græcè loqui potuerit, quam ob rem ſupra laudato ANDREÆ DINNERO, JCto, qui Linguam hanc cum admiratione calluit, longè fuit

T chariſ-

chariſſimus. Ex eo ſiquidem ſæpe audiverat, ac ſuopte etiam ingenio perſpectum habebat, neminem quà veterum, qua recentiorum, ad ſolidæ Doctrinæ famam perveniſſe, niſi Græcarum Literarum auxilio. Sive enim Eloquentiam ſpectes, fatendum erit, CICERONEM & alios venuſtatem, gravitatem & acrimoniam, etiam cum Romane ſcriberent, inde petiiſſe. Quos imitati Poëtæ, ita, ut VIRGILIUS ex HOMERO, THEOCRITO, HESIODO: HORATIUS ex ALCÆO, PINDARO, &c. multa ad verbum tranſtulerint, quod inter eruditos notiſſimum eſt, & juſto libro demonſtrat F. URSINUS. Sive etiam controverſias circa explicationes locutionum, rituum, &c. ſpectes, & verſiones Interpretum, & emendationes male habitorum: profecto altero pede ambulabis, niſi Græca didiceris, imò, ſine linguæ hujus adminiculo & ornamento, eris alienæ ignorantiæ, fatuitatis, ſtuporis ac delirii mancipium. Ita judicabat RICHTERUS noſter, ita cum eo omnis Literatorum cohors.

Anno cIↄ Iↄ CXII. Athenæo Altorphino Peſtis imcumbere cœpit: neque tum Literatorum Ordini pepercit, ſed XXX. Septembr. ejusdem anni præmatura non quoad annos, ſed Literarum merita morte eripuit ſummum & incomparabilem Philoſophum D. ERNESTUM SONERUM, quod ipſi Univerſitati, ad cujus decus pertinere publice exiſtimabatur, ſi tam grande Nomen inter Philoſophos Altorphinos fulgeret, magnæ fuit dividiæ. Intelligens itaque RICHTERUS noſter, quam luculenta & glorioſa reputetur Profeſſorii Ordinis vita, quum occupata ſit in iis ſtudiis artibusque, quibus ſine ambitione, ſine præſentationibus ſummà Nominis claritudo paratur, quæ memoriam magnorum hominum in Secula transmittit, & poſteritati eos, quæ ſemper ipſos intuetur, repræſentat: Parentationem, ut vocant, ſive Orationem funebrem in obitum tanti Viri, utpote Hoſpitis ſui quondam ac Præceptoris fideliſſimi dexterrimique, Anno cIↄ Iↄ CXIII. a. d. 18. Maji publice habuit, & quidem non ſine ſpeciali conſenſu Ampliſſimorum Academiæ Curatorum, qui tantò magis tum temporis requirebatur, quo acerbius linguæ Tribunitiæ, quibus non rarò indigne innocentiſſimi quique flagellantur, in Exiſtimationem pie Defuncti ſævire cœpiſſent. Parentationi huic una cum Civibus Academicis aliisque Hoſpitibus, qui Noriberga advenerant, inter-

Digitized by Google

interfuerunt Ampliſſimæ Dignitatis Senatoriæ Viri Prudentiſſimi, CHRISTOPHORUS & JOHAN. SIGISMUNDUS FURERI ab Haimendorff, fratres germani, cujus Illuſtris familiæ gloria ac meritis Nobilis Reipubl. Noribergenſis Senatus ultra Seculi memoriam reſplenduit, gaudetque DEI beneficio, etiamnum, qui faxit, ut perpetuo.

Septennio, & quod ad menſium octo ſpatium excedit, Altorphii inter ſtudia Philoſophica, Hiſtorico-Philologica & Juridica feliciter & egregio ſuo cum fructu exacto, quemadmodum jam pueritiam Doctrinis liberalioribus imbuiſſet, ita adoleſcentiam in literata Peregrinatione apud Exteros conſumere animo ſedit, compertum ſiquidem ex concordi & conſentiente multorum opinione, veluti Naturæ quadam voce habebat, extremæ infelicitatis eſſe, gloriam ſtudiorum, multa aſſiduitate longisque vigiliis partam, oſcitantia quadam & ignobili rerum præclariſſimarum faſtidio intra parietes perdere.

Antequam verò Altorphio diſceſſit, publicum Teſtimonium à ſupra laudato SCIPIONE GENTILI, JCto, nomine Facultatis Juridicæ, de vita, moribus & ſtudiis elegantiſſimum obtinuit, quod ita ſe habebat:

DECANUS

& cæteri Doctores Facultatis Juridicæ in Academia Noribergenſi, quæ eſt Altorphii,

Lecturis S.

SI quantum in bello Virtus præſtat, tantum innocentia, modeſtia atque artes bonæ in pace atque otio valerent, nulli bono modeſtoque metuendi eſſent calumniæ aut invidiæ ictus. Sed accidit longe aliter, quam oportebat. Quo quisque probior eſt, vitamque ad certam rationis normam exactius componit, eò pluribus inſidiis expoſitus eſt, pluribusque ac vehementioribus circumflatur invidiæ ventis. Neque ſimpliciter verum eſt, quod Poëta ait: *innocentiam murum aheneum eſſe.* Bonorum potius atque excellentium virtute hominum benevolentia ex judicio teſtimoniisque ſepta eſt cujusque vita ac ratio. Quam

ob rem prudenter à majoribus inſtitutum fuit ,ut in Academiis qui modeſtam vitam egerit , induſtriamque ſuam ac diligentiam in perdiſcendo, aliis, præſertim Præceptoribus ſuis approbaverit, is earum rerum atteſtationem publicam laudationemque conſequatur. Talis eſt hic Ornatiſſimus Juvenis GEORGIUS RICHTERUS, Norimbergenſis, Philoſophiæ ac Juris Studioſus, de quo veriſſimè affirmare poſſumus, eum ſingulari nobiſcum modeſtiâ per annos ſeptem vixiſſe, eamque in ſtudiis diligentiam perpetuo adhibuiſſe, ut non ſolùm optimæ indolis præſtantisque ingenii certa nobis argumenta dederit, ſed etiam condiſcipulis ſuis præire exemplo honeſtiſſimo potuerit, pulcherrimaque & generi humano utili æmulatione ad Virtutem atque ad decus inflammare. Studia primum Philoſophiæ ſequutus eſt, tantosque in ea profectus brevi fecit, ut ipſis etiam Præceptoribus ſuis, Viris Clariſſimis & acutiſſimis, admiratione fuerit; inde ad Juris Civilis diſciplinam ſe cum contuliſſet, non minori cum laude diligentiæ atque acuminis in ea verſatus eſt, palamque omnibus declaravit, nihil eſſe, quod induſtria cupiditasque diſcendi, cum bonitate judicii naturæque excellentia conjuncta, conſequi & efficere non poſſit. His cauſis impulſi, libenter meritoque fecimus, ut ei hoc veriſſimum Teſtimonium impertiremur: eoque omnes, ad quos venturus aliquando eſt, cum debito cuique honore rogamus, ut hunc diſcipulum noſtrum omnibus rebus, quibus poterant, omnique favore ornandum ſibi atque adjuvandum putent, paria à nobis officia, ſicubi uſus poſcet, expectaturi & relaturi. Ut autem hæc teſtificatio noſtra majoris ponderis ſit, eam Facultatis noſtræ ſigillo muniendam confirmandamque curavimus. Actum Altorphii XXV. Auguſti, Anno 1614.

Quod ipſum Teſtimonium verbotenus huc transferre placuit, partim quod non ſecundum morem & ſtylum conſuetum, partim quod à tanto Viro elaboratum, qui, ob ſingularem eruditionem Jurisque Civilis cognitionem, Academiæ, quam docendo ac de Jure reſpondendo diu exornaverat, Nominis perennitatem cum Fama immortali velut ex aſſe reliquit. Abiturientis animum MICHAEL PICCARTUS, quo Præceptore in Logicis & Metaphyſicis aliquandiu uſus eſt, ad Virtutis exempla firmiter retinenda & cuſtodienda ſedulò confirmavit, ne forſan offen-

ſenderetur, ſi Virtuti pariter ac bonis Literis pro ſeculi perverſitate debita ſua præmia ſubtrahi animadverteret. Proinde elegans illud Horatianum

. . . meâ deinceps
Virtute involvam, piamque
Pauperiem ſine dote quæram;

ſequenti Carmine Elegiaco paulò liberius expreſſit:

Nullus honos Muſis, nec ſunt ſua præmia doctis,
Regnaque jam repetit priſtina barbaries.
Vtque odio Virtus hodiè ſpectatior Orbi,
Sic fraudi eſt doctos inter habere locum.
O ſeclum! O mores! Et quis Cato vellicet aurem,
Aut quod Sal tandem defricet hanc ſcabiem.
Sed nec proficimus querulis his vocibus hilum,
Narrantur ſurdis auribus iſta diu.
Ergo igitur mens ægra tuos tibi quære receſſus,
Et medio in mundo mundum etiam usque fuge,
Virtuti te involve tua, gratuque libellis,
Pauperiem quæras & ſine dote piam.
Corporis exſuvias donec te ponere mandet,
Et vitæ & mortis quem penes arbitrium eſt,
Tunc tibi erit melius, tunc juſta exacta libella
Et pleno modio præmia vera fluent.

Cæterum, quum iis, qui Altorphii inter Alumnos Noricos vixerunt, (quorum duodecim quotannis ſumptibus Reipubl. Noribergenſis ad ſublevandas Studiorum impenſas aluntur, interque eos RICHTERUS quoque locum habuit) ſine ſpeciali conſenſu Ampliſſimorum Academiæ Curatorum peregrinari non liceat, itaque veniam pro innata Modeſtia ſua ſequenti libello ſupplici petiit:

CUm duæ ſint hominis partes, altera terrenâ mole gravis & iners, altera cœleſtis originis memoriam motus perennitate ſervans, quarum hanc animum, iſtam corpus dicimus: tantò quisque ſupra alios mortales evaſiſſe ſemper eſt habitus, quantò liberior à tarditate corporis exiret, ſimilitudinemque cœli gentilis, unde animos noſtros Philoſophi delibatos eſſe ajunt, celebritate & perennitate motus affectaret. Quo factum eſt, ut maximi quique Viri, quorum nomen poſterorum admiratio conſecravit, peregrinationibus delectati fuerint: nec eſt,

ut annalium memoriam fatigem, & ab antiquitate nebulas colligam ad cogendam eorum nubem, qui vel Sapientiæ vel Prudentiæ Civilis cauſa remotiſſimas terras emenſi ſunt, cum vos ipſi, *Viri Mecœnates*, *Patres Ampliſſ. Nobiliſſ. Prudentiſſ.* inſtar omnium eſſe poſitis, qui cum florentiſſimam Rempubl. à majoribus Vobis tanquam Lampada in manus traditam non tantum conſervandam, ſed & illuſtrandam accepiſſetis, longiſſimis ſuſceptis peregrinationibus variarum gentium ritus & mores, inſtar Ulyſſis illius Homerici, ad Spartam Veſtram exornandam contuliſtis.

Ita nimirum Principum exemplis ſubditorum ſtudia ad imitationem excitari ſolent, nec ullam eſſe cauſam facile ſuſpicor, quæ tot Excellentiſſimos Viros ad inſtitutum ejuſmodi permoverit; proinde & aliorum prævia virtute & privato naturæ inſtinctu exſtimulatus, nimium quantum animum meum peregrinationis amore accendi, & ſi me quoque poſſim tollere humo, ad perfectionem aliquam eo ipſo motu eniti me poſſe ac debere animadverti. Cum igitur octo fere annos in Academia Veſtra, quod ſummum ac Divinum Veſtrum in me eſt beneficium, Philoſophiæ ac Jurisprudentiæ, Veſtra voluntate Veſtrisque ſumptibus liberaliſſimis operam dederim: Cœperunt me magni quidam Viri, quorum auctoritatem nequaquam ſpernere debeo, adhortari, ut mutatis caſtris, tali præſertim occaſione, quæ modo præter ſpem eſt oblata, alibi pauliſper eandem militiam ſectarer, & ita variis expeditionibus edoctus, ſub Reipubl. Veſtræ ſigna, cui Sacramentum dixi, tantò fortior redirem. Neque enim ipſas Amplitudines Veſtras latet, Studioſo, Juris præſertim, inſtar impigri mercatoris, cujus merces una regio non includit, varias Academias, tanquam panegyricas nundinas, adeundas eſſe, unde theſauros quosque rariſſimos ad Rempubl. ſuam comportet. Quamobrem Vos, *Viri Ampliſſ. Nobiliſſ. Prudentiſſ.* quia ſine Veſtro conſenſu nec debeo quicquam, nec poſſum aggredi, ac ne cupio quidem, ſupplex oro atque obteſtor, ut proficiſcendi veniam, pro conſueta erga omnes humanitate ac benevolentia Veſtra, concedere velitis, meque clientem Veſtrum, quem paterno ſinu fovendum ſemel benigniſſime ſuſcepiſtis, porrò benignitatis Veſtræ calore non deſtituere, ſpemque ſegetis herbeſcentis ad maturitatem provehere dignemini. Spondeo ego & promitto, me omni animi contentione operam daturum, ut nunquam

quam Vos illorum, quæ in me contuliſtis, beneficiorum pœnitere poſſit: Vos abſens in oculis ſemper feram, quid à me fieri velitis, aſſiduâ cogitatione ruminabor, & quo jure ac vinculo Vobis obſtrictus teneat, nunquam non publicè profitebor. Valete, *Mecœnates* omni obſervantia & obſequio honorandi, mihique & inprimis toti Reipubl. diu felices vivite!

Qua licentiâ ex voto ſuo à prædictis Academiæ Curatoribus impetratâ, Anno cIↄ Iↄ CXIV. XXVI. Septembr. invocato prius Numinis Divini auxilio, pro feliciſſimis itineris auſpiciis, progreſſu & fine, Norібergâ diſceſſit, celebrem illam Academiam Juliam, quæ eſt Helmſtadii, aditurus; quam propitiis Vialibus XI. Octobr. ejusd. anni primum vidit, & ob Coronam Studioſorum Doctiſſimorum, quos inter CALIXTUS, HORNEIUS & NIHUSIUS in primis eminebant, impenſe amavit; præcipuè quod cum hiſce convictoribus apud CORNELIUM MARTINI commorari, & inter doctas, jucundas & utiles converſationes prandia & cœnulas peragere licuerit. Quo ſæpius & jucundius poſtmodum feliciſſimi hujus convictus memoriam repetiit, nunquam minus otioſum ſe fuiſſe exiſtimans, quam ſi contingeret, cum tam eruditis commenſalibus otia tam officioſa, tam jucunda dividere. Utar ego hic liberâ, ſed verâ voce, doctas ejusmodi & frequentes juvenum collocutiones plus emolumenti ad Virtutem Literarumque ſtudia conferre, quam ferias & viriles curas eorum, qui domi ſemper latitant, omniumque ſalubrium converſationum pertæſi, ſe & ſtudia ſua velut in perpetui Legem ſilentii indurare ſolent.

Poſt integrum prope annum Helmſtadii conſumptum, Anno cIↄ Iↄ CXV. Lugdunum Batavorum ſeſe contulit, tum ob communem famam, quâ illuſtre illud Muſarum Domicilium reliquis Hollandiæ Academiis antecellere credebatur, tum ob exoptatam opportunitatem, qua, cum Jurisprudentia, ſtudium in primis Politicum & Hiſtoricum ope & ſubſidiis Bibliothecæ publicæ ibidem, ſub manuductione DAN. HEINSII, continuare perquam feliciter contigit. In primis verò admirari ſimul ac venerari ſatis non potuit celebritatem Profeſſorum, qui tum temporis Academiam hanc Leydenſem ad invidiam usque illuſtrarunt; prædicti nimirum HEINSII, CUNÆI, BERTII, MEURSII, SCHWANENBURGII,

EPISCOPII, SCRIVERII, VOSSII, aliorumque, qui liberiori acceſſu ob dotes ingenii & doctrinæ RICHTERUM dignati ſunt, quæ occaſio ipſius animum diſcendi ardore flagrantiſſimum ita commovit, ut integrum biennium auguſto huic Literarum Sacrario deſtinaverit. Quam diligenter verò, imò avare felicitate iſthac uſus fuerit, vel exinde apparet, quod ibidem non tantùm integrum Corpus Juris Civilis, ſed & Opera CICERONIS ab initio ad calcem usque legendo abſolverit; non dicam jam de variis Diſputationibus tam privatis, quam publicis, quibus ſummâ aſſiduitate Studium in primis Juris mirifice excoluit. E multis vel ſola Diſputatio Juridica ad difficillimam *l. 57. Heredes mei. ff. ad SC. Trebellian.* ſub Præſidio D. CORNELII à SCHWANENBURG, Codicis Profeſſoris Primarii, 2. Julii Anno 1616. publicè habita, teſtis ſit, quam cum, ad ſtuporem & admirationem omnium Auditorum, ſolidè & ex fundamento defendiſſet, multorum ſtatim encomia inſignesque commendationes promeruit, quarum ſingularem illam P. BERTII literis ad Ampliſſimum Reipubl. Noribergenſis Senatum perſcriptam, quibus ſimul GERMANIAM ſuam obtulit, & de Succeſſore in locum SCIPIONIS GENTILIS Altorphium evocando rogatus ſententiam ſuam tulit, in forma hic adjicere viſum eſt; ita autem ille:

Nobiles, Ampliſſimi, Magnifici Domini,

EX quo mihi Germaniam pleramque, & in ea laudatiſſimam Rempubl. Veſtram videre Divinitus obtigit, cepit me generoſus quidam impetus, Regionem Ampliſſimam Nobiliſſimamque deſcribendi. Et effeci id tandem non ſine ingenti labore & ſumptu; editis nuper rerum Germanicarum Commentariis, in quibus ſi non ex dignitate Inclytæ Nationis, ſaltem pro modulo ingenii mei ſumma attigi præcipuarum rerum faſtigia; nam omnia dixiſſe me non profiteor. Ejus autem laboris noſtri monumentum ſi offerri N. & A. Veſtræ à me nunc dicam, non expreſſero id, quod res eſt. Verè enim & ex animo ſentio, deberi hoc Vobis, qui me ante hos annos XXIV. Urbe Veſtra & Academiâ peregrinum comiter excepiſtis. Quæ me res impu-

impulit, ut cum alias ſemper Civibus Veſtris apud nos degentibus fores meas officiaque omnia patere voluerim, tum etiam nunc GEORGIUM RICHTERUM, Deus bone, quem Juvenem! quantâ eruditione & modeſtiâ! aliosque Veſtræ Reipubl. Cives, qui adhuc in Urbe noſtra & Schola vivunt, pro meis facultatibus comiter producam, & ad ea ſtudia excitem, quibus aliquando Patriæ ſuæ inſervire poſſint. Rogo eâ, qua par eſt, obſervantiâ animique demiſſione, ut munuſculum hocce meum, & officium in Cives Veſtros æqui bonique facere dignemini. Et quia exceſſu Cl. Viri, D. SCIPIONIS GENTILIS, Amici, dum vixit, noſtri, vacua facta eſt Altorphii Cathedra JCti, ignoſcite mihi, ſi, in hac Virorum Eruditorum penuria, de RICHTERO Veſtro in ejus locum aliquando ſurrogando, conſilium Vobis ſuggerere audeam. Ego & SCIPIONEM & RITTERSHUSIUM penitus novi; ſed, ſi me non fallunt auguria, ſunt in RICHTERO Virtutes, quibus & hunc & illum cum tempore æquare, imò verò etiam ſuperare poſſit. Veſter eſt, cur alibi quæratis operoſe, quod expoſitum habetis domi. A Græcis & Latinis Literis inſigniter inſtructus eſt. Philoſophiam exactè didicit, ſine qua Juris omnis Scientia exſucca eſt atque exſanguis. Memoriam habet Divinam & dicendi expeditam facundiam. His ille præſidiis inſtructus ſe ad Jurisprudentiæ ſtudium contulit, in eaque ita profecit, ut nuper cum ſtupore Academiæ noſtræ de Jure exactè reſponderit, nulla adjutus Præſidis operâ. Non erit mihi, ſpero, pudori, ſi hunc talem Nob. & Ampl. Veſtræ commendem, præſertim cum ipſe, in ſpem Patriæ educatus, eò ſemper ſua contulerit ſtudia, ne falleret expectationem Veſtram. Multum ego mihi conſecutus videbor, ſi Commentarios meos & Juvenem iſtum ad magna natum, & mediocria tantùm, qua eſt modeſtiâ, ſpirantem, Veſtræ Nob. atque Magnif. probavero. Nobiles, Ampliſſimi, Magnifici Domini, CHRISTUS JESUS, æterna Patris Sapientia, Vos Vobis & Reipubl. diu incolumes conſervet! Dat. Lugd. Batav. IV. Id. Sept. An. cIↃ IↃc XVI.

P. PERTIUS.

Non pigebit porrò huc transſcribere Carmen doctiſſimum, quod idem BERTIUS Lugduni Batavorum, in honorem RICHTERI, & teſtandi in illum affectus teſſeram eſſe voluit, hiſce formalibus:

RICHTERE, cujus artibus Deæ novem
Tinxere pectus, labra Phœbus polluit,
Frontemque Dia Palladis ſtruxit manus;
Cur me tuorum, quos legis, ſodalium
Nobili ac venuſto poſtulas jungi choro
Rudem, inficetum, Gratiarum neſcium?
An ratio ſuaſit, iſtud ut committeres?
Haud Hercle ſuaſit. Illa connectit pares.
Ratio Minervæ ſociam non jungit ſuem,
Phœbove Marſyam, aut Deum infimum IOVI.
Quid ergo me inter Olores Anſerem jubes
Conſiſtere? Cœcus imperavit hoc Tibi
Amoris ignis. Amor aut invenit pares,
Aut, ſi impares deprendit, mox pares facit.
Hic magna parvis æquat, ima maximis,
Vtrisque media, cuncta nectens invicem.
Amor potenti vel potentior Deo eſt,
Amor Minervæ noctuam jungi jubet,
Veneremque Adonidi, atque mortales IOVI:
Amoris hujus iſtud inventum fuit,
Quod BERTIVM inter Amicos adcenſes tuos.
Cur ergò Te, RICHTERE, conſequerer gemens?
Faciam, quod optas, ultro & ne pugnem Tibi,
Parebo Amori, ratio dum me ſubmovet,
Iungarque, Te jubente, GENTILI meo.

Cui non minus elegans adjunxit ipſis Calend. Julii Anno cIↄ Iↄc XVI. PETRUS SCRIVERIUS hunc in modum:

SCipio, Virdungus, Piccartus, claraque Vatum
Nomina, quos albo fert liber iſte ſinu.
Sideraque Aſtrea, Sophiaque perennia templa,
Norica quæ prohibent nocte Lycea tegi.
Et candor, RICHTERE, tuus laudataque Virtus
Præſtringunt oculos impediuntque meos.
Quare Tireſiam, aut forſan ſi Phineas optes
Oedipodasve; iſtis me citò junge choris.
Fas mihi ſit claris nebulam interſpergere ſtellis,
Et liceat doctos inter habere locum.
Quod mihi ne fraudi ſit, Muſas deprecor omnes,
Barbariæ tantum nec licuiſſe velim.
Ingenio cedam, non conceſſurus amori,
Qui volet ingenio cedere, rarus erit.

Glo-

Clarior hic meritò: nulli que hac laude ſecundus,
Qui velit & poſſit ſemper amare ſuos.

Statum Reipubl. Batavicæ tum ex doctis Virorum magnorum ſcriptis, potiſſimum DOUSÆ, HUGONIS GROTII, BAUDII, aliorumque tum in primis ex crebris & utiliſſimis colloquiis cum CORNELIO VANDERMYLEN, Scholarchæ Academiæ Leydenſis, cum JANO RUTGERSIO, Regis Sueciæ Conſiliario, ſupra dicto HUGONE GROTIO, tum temporis Syndico Civitatis Roterdamenſis, & LUCLAMA à Nicholt, cui locus erat inter Ordines Generales Confœderati Belgii, incredibili ſua cum voluptate hauſit, quem colloquendi acceſſum cum tantis Viris in primis HEINSIUS & BERTIUS conciliaverant; quorum ille prolixam non minus quam eruditam Epiſtolam ad RICHTERUM ſcripſit de ſervitute naturali, quam JCti negant, Ariſtotelici contra affirmant, quosdam nimirum ſervos eſſe natura, & quidem neceſſario. Occaſionem huic rei dederat Corollarium I. ſupra dictæ Diſputationis Juridicæ publicè Lugd. Batavor. habitæ, quo RICHTERUS utrumque verum eſſe ſtatuit. Edita reperitur hæc Epiſtola in Rutgerſii Variis Lectionibus, ut & in HEINSII Orationibus, & noviſſimè denuò inſerta ejusdem variis Epiſtolis ad RICHTERUM ſcriptis, quas cum aliis hic ipſe Tomus Epiſtolarum continet.

Biennio, quod, ut ſupra innui, florentiſſimo Athenæo huic Lugdunenſi, non ſine ſpe præclariſſimi fructus, deſtinaverat, jam præterlapſo, & quidem eventu exoptatiſſimo, diſceſſum inde meditari, iterque, per Brabantiam, Flandriam, Angliam, in Galliam adornare cœpit. Verùm, quum ſine publico Teſtimonio illum diſcedere Proceres Academici nefas judicaſſent, tantò facilius petenti annuerunt; quos inter DAN. HEINSIUS Teſtimonium proprio Marte & manu, quod rarum erat, conſcripſit, ita ſe habens:

RECTOR ET SENATUS

Academiæ Lugdunenſis apud Batavos Lectoribus

S. D.

CUm ea ſit Virtutis ratio, ut eam nemo, quamvis animo ſublimi & excelſo, ita gratis amet, ut non ejus

cauſa

cauſa ſe probari Viris magnis ſolicite appetat, cujus rei illuſtria in omni antiqua memoria habemus exempla, minimè mirandum eſt, ſi qui tales noſtra quoque tempeſtate ſunt, qui præmium in omni vita ſibi ac præclaris ſuis actionibus propoſitum deberi exiſtiment. Quare cum hoc idem Juvenis eximius ac rari exempli GEORGIUS RICHTERUS à nobis petiiſſet, qui quanquam intelligeret Virtutem ſibi eſſe finem Sapientiæ pariter & votum, eamque ſolam per ſe ad felicitatem ſufficere, voluit tamen, aliorum cauſa, judicium ſuis de Virtutibus extare noſtrum. Id nos & lubenti animo & ex officio fecimus. Teſtamur itaque eundem, cujus jam meminimus, præclarum Virum, ita toto tempore, quo hic verſatus eſt, vixiſſe, ut cum Regina rerum, Juriſprudentia, artes omnes conjungeret ac diſciplinas, utque corruptos ſeculi aſpernaretur mores, quo plerique meliores artes, eaque ſtudia, quæ meritò humanitatis nomine cenſentur, rejiciunt ac negligunt: linguas nihil ad Sapientiam & Eruditionem conferre arbitrantur: antiquitates & hiſtoriam, Civilis prudentiæ magiſtram, inſuper habent, ſtudium Philoſophiæ, ſine quo in cæteris fruſtra deſudatur, ne attingunt quidem: quæ ille ita excoluit, ut hujus ſive judicii ſive induſtriæ fructum nuper retulerit maximum: cum luculentas non ex Jure modò, ſed ex omnibus ferè diſciplinis, ſumma cum omnium admiratione, Theſes defendit, Quibus omnibus hoc conſecutus eſt, ut maximam de ſe in hac Academia expectationem concitarit, neque quiſquam dubitet, quin eximium Patriæ ſuæ ornamentum aliquando ſit futurus & exemplum omnibus, quantum conjuncta cum excellenti ingenio poſſit induſtria. Lugdun. Batavor. 28. Auguſt. Anno 1616.

(L.S.)

DAN. HEINSIUS.

Antequam verò Lugduno Batavorum diſceſſit, commendatitias ab HEINSIO ad ANDREAM, Epiſcopum Elienſem, qui Londini tum agebat; & ad JACOBUM AUGUSTUM THUANUM, LUTETIAM Pariſiorum; à PETRO BERTIO verò ad JOHAN. BAPTISTAM GRYMAIUM, Bruxellis in Brabantia commorantem, nec non ad Nob. Dn. ab ASPEREN Ordinum Hollandiæ ad Galliarum Regem Legatum, impetravit,

vit, ſæpe mirum in modum prædicans, Literas haſce magno adjumento, in primis verò familiaris acceſſius ac licentiæ delicias ſibi fuiſſe.

Itaque 1. Junii Anno cIɔ Iɔ CXVII. Lugduno Batovorum valedixit, iterque in Brabantiam & Flandriam inſtituit. Brabantiam videndi deſiderium præcæteris concitavit Lovanium, non ſolùm propter mirandam tot Scholarum & Collegiorum, quæ ibidem egregiè conſtructa reperiuntur, frequentiam, ſed quod magnum illum ERYCIUM PUTEANUM, JUSTI LIPSII Succeſſorem, publicè docentem audire ſæpe optaverat. Cujus voti ſui etiam compos factus, eloquentiſſimum Virum ſumma cum voluptate & admiratione in celebri Auditorio Lovanienſi trium Linguarum audivit, cum publicè eo ipſo tempore ex Flori Hiſtoriis explicaſſet ſecundum ſeditionem Reipubl. Romanæ, quam excitavit libido APPII CLAUDII erga filiam VIRGINII. Poſt finitam Lectionem publicam PUTEANUS, pro ſummo affectu & humanitate in omnes Literatos, præcipuè Germanos, RICHTERUM familiari colloquio dignatus eſt. Inter varios diſcurſus ſermo incidebat de libello quodam, cui titulus, Corona Regia contra Regem Angliæ, cujus Auctor PUTEANUS dicebatur. Cujus rei verò famam ille enixè declinans, velut Apologiæ loco ſcriptum quoddam exhibuit, cui nomen, Perjurium RUFFI & GIBBOSI præfatus: quo delatorum ſuorum virulentiæ ac ſiniſteritati ſatis fuiſſe conſultum & obviatum exiſtimabat.

In Flandria, quam poſt Brabantiam adiit, potiſſimum admiratus eſt Urbem primariam, nulliq; in tota Europa ſecundam, GANDAVUM, cujus ambitum intra muros 45640. pedibus Romanis ſive ſeptem miliaribus Italicis conſiſtere, ex BERTIO Lugduni Batavorum didicerat, locum hunc viſu tantò digniorem arbitratus, quod CAROLUM V. Imperatorem Orbi dediſſet, ſimulque non paucos Viros Literatos & hos inter JODOCUM BADIUM, LEVINUM TORRENTIUM, BALDUINUM RONSSÆVM, UTENHOVIVM & DAN. HEINSIVM, cujus memoriam tum ob recentia adhuc favoris beneficia tum aliàs ſemper magno honore habuit, inſigni ſeculi felicitate protuliſſet.

Flandriâ diſceſſurus conſiliũ primò cœpit in Galliã ſe conferre relictâ Angliâ partim quod ſtatum illius Regni ex libris æque addiſcere poſſet, prout ſpecimina non pœnitenda ex

THO-

THOMA SCHMIDIO, CAMDENO, Rege Platonico, METTERANO, EUPHORMIONE aliisque hauſerat; partim quod Linguæ Anglicæ non idem, qui linguæ Gallicæ in Republ. uſus; partim etiam, quod varia tum prodiiſſent omina, quæ Regno huic diuturnam ſerenitatem, & in primis à motibus inteſtinis omnimodam ſecuritatem, vix ac ne vix quidem promittere videbantur, cum eo tempore longè alia apparebat facies ab illa priſtina, quâ ſub HENRICO VIII. tanquam cœlitus emiſſo Principe, ſic omni genere virtutum effloruiſſe Britannia credebatur, ut videri poſſit renata, ſic moribus incorrupta, ut ab hac vel ipſa MASSILIA, optimarum olim diſciplinarum ſtudiis florentiſſima legibusque ſanctiſſimis optime conſtituta, civilis diſciplinæ exemplum petiiſſet; ſic pietate pollens, ut vel ipſi ROMÆ eſſe potuiſſet magiſtra pietatis. † Cæterum, quum Angliam quoque Viris in omni doctrinæ genere abundantem adiiſſet RICHTERUS, ita, ut huic etiam ITALIA invidere poſſet, niſi ſtudiorum æmulatio neſciret invidiam; præterea etiam Lugduni Batavorum ex doctiſſimis P. BERTII converſationibus memoriæ adhuc ſupereſſet, in Anglia Philoſophos quosdam nihil non conari adverſus PLATONEM & ARISTOTELEM: nihil non in Mathematicis adverſus EUCLIDEM; Cœlum nimirum ſtare, terram raptari in Orbem: Solem ipſum non inhærere ſuo Orbi, ſed vagari, aut inſtar globi per vaſtum illud inane diſcurrere, & id genus alia: mutavit illico conſilium, & Comites itineris ſequutus, qui vel ſola commemoratione Urbium per univerſam Angliam præcipuarum, quas inter floruerunt Londinum, Eboracum, Cantuaria, Briſtolia, Gloceſtria, Cantabrigia, Oxonia, &c. ſalivam eidem moventes, facili negotio in ſuam pertraxerunt ſententiam, ut unà cum iisdem Londinum ſe conferret, quam Urbem velut totius Angliæ Epitomen ſæpe deinceps admiratus eſt. Et quamvis multa ibidem digna viſu, de quibus Itinerariorum Scriptores aliique jam indigitarunt, avaro oculo perluſtraſſet, non tanti tamen æſtimavit, quam quod Londini cum MARCO ANTONIO de DOMINIS, Epiſcopo Spalatenſi, Viro Doctiſſimo, quem Religioni Pontificiæ renuntiantem ex Italia ſedem ibidem fixiſſe acceperat, colloqui licuit. Jucundè non minus quam honorifice ab eodem exceptus, multa pariter non

† *Vide Eraſm. Roterodam. lib. 6. Epiſt. f. 356. Epiſt. XII. per tot.*

non pœnitenda per diſcurſum audivit, in primis de Hierarchia, quæ tunc ſub manibus erat; nec non ſtatu Hollandiæ, quem cognoſcere enixe deſiderabat, tandem etiam de Theologorum Batavorum controverſiis. Multi de admiſſione, quâ RICHTERUM præ cæteris dignatus eſt, ideo mirati ſunt, quod Vir ille ſemper fuerit paucorum hominum, tantoque difficilioris acceſſus. Cum Rege Angliæ tunc ſimul in Scotia commoratus Epiſcopus Elienſis, ſpem illam quam commendatitiæ ad eundem à DAN. HEINSIO impetratæ primum fecerant, excluſit. Jacturam itaque hanc ſupplevit deinde celebritas & fama Univerſitatis Oxonienſis, quam videre cum Nobiliſſimis Juvenibus & Patriciis Noribergenſibus, Dn. ALBERTO POEMERO & Dn. JODOCO CHRISTOPHORO KRESSIO à Kreſſenſtein, tantò felicius contigit, quanto jucundius erat RICHTERO, amicitiæ jura, antehac Lugduni Batavorum cum Nobiliſſimis hiſce commenſalibus feliciter contracta, in Angliæ Academia non minus celebri redintegrare, qui uti haud indecorum arbitrabantur in Exteris Academiis innotuiſſe RICHTERO, ita poſtmodum magno eundem affectu proſecuti ſunt in Ampliſſimi Senatus Reipubl. Norimbergenſis Ordinem adſciti Viri Nobilitatis Doctrinæ & Summarum Dignitatum Ornamentis ſplendidiſſimi, deque Patria in primis præclariſſimè meriti; ſæpe affirmantes; cum de laude aliqua, Studioſo Adoleſcenti docto & induſtrio congrua, cogitarent, os RICHTERI ante oculos ſibi verſari ſolitum.

Poſt Oxoniam placuit porrò etiam videre alteram Angliæ Academiam, Cantabrigiam; diverſatus ibidem aliquantiſper Canditatum Theologiæ pro Gradu, ſed non ſine Præſide diſputantem audivit de Prædeſtinatione, ſimulque morem diſputandi diligenter notavit, quo primò omnium concluſionem conceptis verbis pronunciant: Ergo falleris, &c. deinde demum propoſitiones probare incipiunt, qui mos etiam in aliis Angliæ locis ſervatur.

Ineunte æſtate Anni cIↃ IↃ CXVII. non multo labore à Parentibus obtinuit, ut liceret ſibi inviſere Galliam. *Appulſus* itaque felici ſidere in Comitatum Bononienſem XI. Julii ejusdem anni Rothomagum venit, locumque illum non tantùm ſitu peramœnum, utraque parte clauſum Sequanâ; ſed & Archiepiſcopatu & Parlamento celebrem, adde & mercatu ſatis divitem, magnâ jucunditate perluſtravit.

ſtravit. Cæterùm, quum jam fama Lutetiæ Pariſiorum, quâ omnium penè totius Europæ Urbium & maxima, & cultiſſima & populoſiſſima Jure ſuo audiit, videndi deſiderium magis magisque accendiſſet, poſt aliquot dies Rothomago diſceſſit, & 23. (13.) ejusdem menſis Julij modò dictam Lutetiam attigit, ſæpe poſtea, cùm potiſſimam Galliæ partem magnâ curâ & ſtudio indefeſſo peragrâſſet, confeſſus, Lutetiam hanc verè totius Galliæ compendium eſſe, ſicut Europam Orbis. Et cum plerique, qui locum illum petunt, ad arma, aliaque ſtudia & exercitia ſoleant divertere, RICHTERUS perrexit requirere res memorabiles, & inprimis magnos & eruditos Viros, quibus Gallia ſemper abundat. FRANCISCI BALDUINI, Juriſperiti celeberrimi, monumentum in æde Maturini vidit, ſimulque errare eos deprehendit, qui illud apud Auguſtinianos inter ROBERTI GAGUINI & JOHANNIS à Sacrobuſto monumenta quærunt. Inter Convictores Pariſienſes Virum Doctiſſimum habuit, JOHANNEM BAPTISTAM CROSILLEM, Profeſſione Theologum, cum quo ſingulis ferè diebus de controverſiis nonnullis Religionis diſputans, alter alteri hanc ſimul legem dixit, ut, ſi ex Novo Teſtamento ſententia aliqua probanda veniret, Græcus ſemper textus peteretur. Commendatitias ad THUANUM, quas Lugduni Batavorum ab HEINSIO impetraverat, mors inopina antevertit; extinctum enim eſt Galliæ Lumen hoc incomparabile, cùm RICHTERUS adhuc in Anglia ageret. Literas nihilominus liberorum defuncti TUTORI, PETRO PUTEANO, reddidit, qui author fuit, ut non ſolùm ædes, ſed in primis Bibliothecam THUANI inſtructiſſimam & per totam Galliam celebrem videre licuerit. Vidit itaque aliquoties, & quidem oculo minimè transeunte, ſed maximopere intento, non parùm inſuper delectatus tum raritate Authorum, in primis Manuſcriptorum, tum quòd in tres claſſes locis ſeparatis tota Bibliotheca ordine congruo ac decenti diſtincta conſpiciebatur, quarum prima libros Juridicos cum Manuſcriptis; altera Philoſophicos & Hiſtoricos, tertia Theologicos, eosque inter varios libros Manuſcriptos continebat, interſperſis ubique nonnullis magnorum Virorum Iconibus, Scaligerorum nimirum, MURETI, CASAUBONI, CUJACII, FABRORUM, BRISSONII, BUDÆI, ALCIATI, SAVONAROLÆ, PETRARCHÆ, CASSANDRI, LIPSII

LIPSII; nonnullorum etiam Imperatorum ac Regum. Hujus felicitatis authori ut multùm ſe debere ingenuè confeſſus eſt RICHTERUS; ita non ſemel incuſavit inexſuperabilem illam Fatorum vim, quæ, rerum tot præclariſſimarum curſum invidioſè dicam ac præmaturè abrumpendo, Virum hunc ad ſumma natum, & bono in primis publico quotidiè magis magisque invigilantem, infelici hac in parte GALLIÆ ſupereſſe diutius haud ſinebant. Sed hæc eſt mortalium, imò cogitationum noſtrarum periodus. Res ſæpe magnas parvo tempore molimur, & ingentes animos in anguſto pectore verſamus; dumque jam ferrum noſtrum calere exiſtimamus, ecce præter expectationem adeſt decretoria illa hora; quæ, multis præclaris cœptis, auctoritate voluntatis Divinæ imponit finem. Melioris ſucceſſus erant literæ P. BERTII ad ſuprà nominatum Dn. ab ASPEREN, Ordinum Generalium ad Regem Galliæ Legatum. Quoties enim ille per Audientiarium, carrucarum ſatis magno numero & comitatu, ad Colloquium cum Rege ſive ad Audientiam, ut vocant, admiſſus eſt, toties RICHTERO eadem carrucâ copiam fecit videndi Aulam Regiam ejusque Proceres; cum quo tunc temporis ſimul erat GUILIELMUS GROTIUS, HUGONIS GROTII frater, qui, cum RICHTERO eâ occaſione per aliquot menſes familiarius vivere, honori ſibi duxit.

In ipſo Galliarum Rege *Ludovici XIII.* internas animi verè Regii dotes longè majores deprehendit quam externum cultum & habitum; qui, licet facundiâ Regiæ quidem Majeſtati haud inconvenienti usq; adeò non inclaruerit, nomen tamen Regis *Chriſtianiſſimi* à majoribus acceptum ita omnibus numeris implevit, ut, quantis votorum omnimodæ felicitatis cumulis omnes boni vivum proſequerentur, tantâ veneratione memoria ejusdem etiamnum, non ſolum propter eximiam prudentiam tam Civilem quàm militarem, ſed & potiſſimum ob Regiæ lenitudinis laudem, publicè colatur, veriſſimum ſæpe expertus aureum illud AMMIANI MARCELLINI effatum: *Afflicti ſolatia ſtatus ſemper eſſe lenitudinem Principum.*

In Collegiis, quibus abundat Lutetia, Viros præ cæteris doctos convenire inter potiſſima vota erat. Proinde gratiſſimum accidit, quod primò omnium, in Collegio Sorboniſtarum, Monachum eruditum pro Gradu Baccalaurei in Theologia diſputantem audire licuit, quem diſputandi morem à *Sleidano* Lib. 3. Hiſt. fol. 60. deſcriptum antea cognoverat.

Digitized by Google

In Collegio Lyſiæ Profeſſorem Artium Humaniorum Virum Doctiſſimum, JOHAN. BRISSÆUM qui nuper è Gaſconia Lutetiam ſe contulerat, memoriter perorantem, ſumma cum admiratione, audivit de miraculis Seculi XVII. quod 1. in Religione, 2. in Rebuspubl. 3. in Eruditione, 4. in rebus mirandis, typographia potiſſimum & navigatione, prioribus Seculis partim comparavit, partim prætulit. Qui ut eloquentiâ (quâ non rarò Viros Principes ex Aula Regia in attentionem Lectionum publicarum provocavit) vix quempiam habebat parem: ita æmulum ſuum paſſus eſt JOHAN. VALENTEM, Præceptorem primæ Claſſis in Collegio, quo vocant, Boncour. Hic, quia famam BRISSÆI multorumque diſcentium concurſum frequentem ferre non poterat, ideo in diſcurſus & judicia planè perverſa, cœco æmulandi ſtudio vel potiùs ardore prolapſus, ſe, iratum dicebat, intra triduum Oratorem effecturum, ut CICERO JCtum. Si quosdam Juriſperitorum titulo gaudere cognovit, eos vocavit Juriſperditos, & qui CICERONI præ cæteris operam dederunt, Ciceroniaſinos. Multos ſe fruſtrà exercere in definitione Juris Naturalis, quod Natura omnia animalia docuit: poſſe equum creari Doctorem, quemadmodum CALIGULA equum creavit Conſulem: Compendia Hiſtoricorum, velut TROGI ex JUSTINO, FLORI ex LIVIO, XIPHILINI ex DIONE, &c. ſtudioſæ juventuti plus detrimenti quàm veri commodi proferre, conſtans ejus erat opinio, quam tamen minimè recti ac ſinceri judicii tenor, ſed edax illa & inimica ſemper alienis proceſſibus expreſſit invidia. Cæterùm quantò quis invidentior, tantò plerumque maledicentior eo ipſo verò tantò etiam ſtultior eſt, cum, ERASMI ROTERODAMI judicio, nullum gravius ſupplicii genus excogitari poſſit invidentiâ, utpote quæ ipſa ſui carnifex eſt, &, ut Poëta duxit, ſupplicium ſuum. Hinc veteres Epigrammatici invidentiſſimo cuique extremum malorum, ipſam nimirum invidiam, paucis hiſce imprecati ſunt:

Omnibus invideas, invide, nemo tibi.

Non procul Pariſiis, cum porrò notatu digna obſervare jam deſideraſſet RICHTERUS, ad pontem illum celebrem Charentonium appulit, ubi Echo reperitur, qui non ſolùm decies & ter vocem editam refert, ſed & dictionem quadriſyllabam ter quaterque diſtinctè ingeminat. Verùm

vix

Digitized by Google

vix tantopere raritatem hanc æſtimavit, quàm quod eâ ipſa occaſione, inter Reformatos Viros Doctiſſimos, N. DURANDUM, & Petrum MOLINÆVM concionantes audire, paucisque diebus poſt, cum FRONTONE DUCÆO, Viro, CASAUBONI judicio, eruditiſſimo, colloqui licuit; cujus ad eundem, in Tomo Epiſtolarum à GRONOVIO edito, Epiſtola extat ſatis prolixa CLXV. Cujus Anno cIↃ IↃ CXI. Londini ſeorſim editæ copiam habuerat RICHTERUS.

Non deſtitit porrò bonas horas ſuccidere in adeundis & perluſtrandis Bibliothecis aliis, quas inter poſt Regiam, quæ multis Manuſcriptis ſingularibus celebris eſt, animum in primis delectaruns Bibliotheca ad S. VICTOREM, & quæ in Cœnobio Benedictin. conſpicitur, in qua librum vidit notis refertum non literis, ſed quarum ſingulæ notæ verbum danotârunt, cujusmodi modum ſcribendi CICERO olim operâ TIRONIS, liberti ſui, uſurpaſſe dicitur.

Lutetiâ Pariſiorum XIX. Novemb. An. cIↃ IↃCXVII. cum comitibus ſuis, fratribus germanis Landſchadiis, diſceſſit, & Aureliam adiit, quæ præ cæteris Galliæ Academiis ipſius adeò affecit, ut linguam Gallicam unà cum Statu Regni, cujus ſtudioſiſſimus fuit, ibidem addiſcere ſecum conſtituerit. Cujus fiduciæ ſuæ poſtea egregios fecit progreſſus ex Manuſcripto doctiſſimo, ab Amico quodam impetrato, cujus familiaritatem & favorem ſingularem colloquiis quotidianis ſibi conciliaverat. Quinquennium eo ipſo tempore erat, quod JOHANNES HORDAL, Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis Conſiliarius & in Academia *Ponti Muſſana* Profeſſor Publicus, Hiſtoriam ſuam edidit de prodigioſæ & Mavortiæ illius Virginis, quam vulgò Puellam Aurelianenſem dicebant, rebus contra Anglos inclytè geſtis publicè edidit, quæ ipſa Hiſtoria, contra LIPSIUM argumentis non ſpernendis egregiè defenſa, anſam RICHTERO ſuggeſſit, ut de ea poſtmodum in Diſputatione ſua inaugurali, BASILEÆ pro Gradu habita, *πάρεργον* publicum propoſuerit.

Inter Viros Eruditos, quos Aurelia tunc habuit, in primis admiratus eſt Theologum diſertiſſimum Patrem HARDUY, quem tempore paſſionis aliquoties, ipſo verò die SALVATORI noſtro Opt. Maximo exequiali, integrum trihorium cum omnium admiratione concionantem audivit.

divit. Quæ inſignis perorandi dexteritas animum RICHTERI Virorum Literatorum conſortio flagrantiſſimum impenſius ſubinde exſtimulavit, ut colloquium quo frequentius & familiarius, eò jucundius cum tanto Viro ambir[e n]on deſierit.

Cujus tandem Voti compos factus, ſermones de rebus potiſſimum Theologicis cum ipſo miſcuit.

Poſtquam octo menſes Academiæ huic Aurelianenſi indulſit, Lugdunum petiit, ibique JODOCUM SINCERUM, Virum Doctiſſimum, qui illo ipſo tempore Galliæ Itinerarium perfecerat, compellavit, placuit verò paulo ante Biturigibus aliquandiu ſubſiſtere, quia, ut ex SINCERO cognoverat, genius illius loci traxit nonnihil à popularibus noſtris, qui in hac Academia ab aliquot Seculis ſub privilegiis liliatis magno ſæpenumero vivere conſueruut, ut minus quam alibi offendantur incolæ, ſi quis fortè magis & Patriæ ſuæ quam hujus loci vivat inſtitutis. Lugduni perquam jucundum accidit, quod celebri tum temporis *Ieſuitæ Patri Cotton* innotuit, cujus humanitate fretus Bibliothecam & Collegium Jeſuitarum, ſimulque hortum amœniſſimum ejusdem Jeſuitæ ſæpe perluſtravit, varios cum ipſo ſermones miſcens de PLOTIO, M. TULL. CICERONIS, Præceptore quem Lugduno oriundum primum Romæ Rhetoricam Latine docuiſſe recenſebat, veriſſimum ſimul compertus, quod de Nobiliſſima hac Urbe SCALIGER ſcripſit.

- - antiquo novus orbis in orbe
Lugdunumque vetus orbis, in orbe novo.
Quod nolis, alibi quæras: hic quære, quod optas.
Aut hic aut nusquam vincere vota potes.

Cum hic inter gratiſſima temporis ſpiramenta nonnihil interquieſcere accidit, conſilium tandem cœpit, peregrinationem in Gallia ulterius protendere, ſed animo revertendi Lugdunum. Itaque perrexit *Valentiam*, quem locum SINCERUS eidem à Sedis Epiſcopalis. Curiæ & Academiæ celebritate non minus quam JULII PACII, JCti celeberrimi, fama, qui ſub id tempus publice ibidem docuit, ſummopere commendaverat. Et quemadmodum nec SINCERUM conſilii hujus, ita RICHTERUM nunquam poſtea pœnituit obſequii, quippe qui magno & egregio ſuo cum fructu, feriis canicularibus PACIUM *Authenticas Codicis Iuſtinian. privatim explicantem* audivit.

Non multis hic ſubjicio, ut interim cum JCto hoc, quoties

Digitized by Google

quoties occaſio tulit, privatim porrò egerit de Pragmaticis lucro inhiantibus, & ad Studium Juris ſine cognitione Philoſophiæ, Artiumque Humaniorum accedentibus, item de vocatione ſua in Hollandiam, & nonnunquam de Senectute, qua Vir ille ad admirationem multorum usque ſemper firmâ ac valida, ſummosque ſimul labores & vigilias ferre conſueta utebatur.

Cauſa tandem tam vegetæ Senectutis, ipſo fatente JULIO PACIO, reperiebatur in ſaluberrimis non minus quam prudentiſſimis rationibus, quam olim ſupra laudatus CONRADUS RITTERSHUSIUS ad PHILIPPUM CAMERARIUM, Reipubl. Norib. Conſiliarium dexterrimum, elegantiſſimis hiſce Phaleucis perſcripſit:

Mitem quid faciat, rogas, Senectam,
Morbos quid faciatque rariores,
Conſtantem faciatque Sanitatem?
Dicam, quàm potero, brevi Phaleuco,
Si transacta Juventa temperanter,
Plerunque eſt etiam Senecta firma,
Et vires retinet q; Sanitatem, Aut avi minuit ſibi ipſa damna,
Atque incommoda leniora reddit.
Mitem quid faciat, rogas, Senectam?
Si quis mente revolvat anteacta
Vitæ curriculum bene atque honeſtè,
Præſumat quoque ſpe futura deinceps
Semper cum ſuperis agenda Vita,
Nullo gaudia terminanda fine,
Hæc ſunt, quæ & faciunt Tibi Senectam
Iuxta cum tolerabilem Iuventa.

Varia inſuper Galliæ loca pro ratione temporis ac ſumptuū perluſtrans, *Monſpelium* primò, deinde *Marſiliam* adiit, inde Aquas Sextias, ut & *Vallem Clauſam*, vulgò *Vaucluſe*, quem locum in Gallia *Fr. Petrarcha* Meditationes Philoſophicæ, quibus ibidem vacare ſolitus, celebrem reddiderunt, & tandem *Avenionem* ſe contulit, ut eò promptior eſſet occaſio redeundi *Lugdunum*, quo mox feliciter cum duobus Belgis, qui familiaritatem tam docti & facundi comitis diu exoptarunt, reverſus eſt. In itinere iſthoc inopinato quidem, ſed exoptato incidit in Virum eximiæ eruditionis & dignitatis, *Antonium Thozo* Conſiliarium Regium & Senatorem *Aquiſextienſem*, qui non tantùm variis honorum ac proliximi favoris officiis *Richterum* ſibi devincire ſtuduit, ſed ſimul mentione ANTONII GOVEANI & ANTONII

FABRI, quos inter præclara Jurisprudentiæ Lumina & Ornamenta ætas illa meritò habuit, noſtra verò & ſecutura non minori laude venerabuntur, cauſa fuit, ut RICHTERUS *Sabaudiam* videndi, in primis verò Celeberrimum illum modo nominatum ANTON. FABRUM ſalutandi firmiter animum induxerit, compertum quippe habebat, Juris-Conſultum hunc multæ doctrinæ & potiſſimum ſinceræ Jurisprudentiæ ſplendore multis Antiquis nihilo eſſe inferiorem. *Camberinum* itaque, metropolin Sabaudiæ, omnibus itineris ac viarum difficultatibus & periculis, quæ peregrinantibus ibidem ſe offerunt, poſthabitis, lætis fauſtisque omnibus adiit, & Præſidem illum Parlamenti omnibus Exteris humaniſſimum tantò majori voluptate compellavit, quò intimiorem cognitionem ex ſcriptis JCti hujus eruditiſſimis tum Lugduni Batavorum, tum in nonnullis Galliæ Academiis ſibi comparaverat.

Animum RICHTERI jam vellicabant Parentis & Amicorum vota, ut peregrinatione, cui quadriennium magna ſua cum laude & fructu impenderat, propemodum defunctus, exſurgentem Virtutis omnibus, qui Virtutem amant, imitandæ indolem dotesque ingenii ampliſſimas, cum ſtudiis feliciter non minus cœptis quàm continuatis, Patriæ tandem oſtenderet & comprobaret. Quod ipſum tantò conſultius ſibi exiſtimavit, quo laudabilius ſcopum peregrinationis veræ ac fructuoſæ tum aſſecutus erat, quem non tantùm in nobilioribus Regnis, Provinciis, Ducatibus & Rebuspublicis perluſtrandis, ſed vel in primis in ſolida rerum & ſtatus publici cognitione haurienda ſitum eſſe noverat, compertum ſimul habens; quod ſi paulo diutius & ultra debitum Peregrinationis modum trahatur ſtudioſi hominis vita velut deſultoria, vaga & incerta, perquam facilè fieri poſſe, ut tandem inter vana oblectamenta bonam mentem eripiant mores peregrini, qui iis potiſſimum, quibus peregrinationes temerè magis quam maturo ſuſcipiuntur conſilio, operoſam potiùs voluptatem quam inſigem, adferunt fructum; & ſi omnia ad lubitum vel ſatietatem usque feceris, illo denique redeundum erit, ubi Animi tranquillitatem fortunarumque ſedem quærere & invenire commodum ſit. Ante oculos præterea erat graviſſimum MICHAELIS VIRDUNGI judicium, quod de multorum peregrinantium abuſu & errore ſæpe cum jactura & pœnitentia errato Epiſtolæ Dedicatoriæ in *Taciti Agricolam*

Anno

Anno cIↃ IↃcXVII. publicè inſeruit, addito, quod in eandem opinionem olim J. LIPSIUS in Præfatione libelli de Amphitheatris eruditè ac prudenter ſcripſit, quem locum hîc verbotenus transſcribere eò minus neceſſarium, quo frequentius in plurium manibus ac Bibliothecis reperire eſt ſcriptum iſthoc, ut ſunt omnia VIRDUNGICA, politiſſimum juxta ac doctiſſimum, ad cujus Lectionem nunquam ſine ſingulari jucunditate & admiratione licet recurrere. Quocirca quum, præter jam dicta argumenta non exigui ponderis ac momenti, illud inſuper perſuaſum haberet, unicuique homini ad certum genus publicæ Vitæ, ſeu pro naſcendi conditione, ſeu ex electione propria deſtinato, in id præcipuè incumbendum, quod inſtitutum poſtulat, quumque jam unà cum ſtudiis liberalioribus Jurisprudentiam, utpote Reginam rerum, ita excoluiſſet, ut ex ipſis fontibus Juris potius, quam ex Doctorum ſive Interpretum rivulis, Legum nitorem conſpicuum fieri animadverteret, quam laudem Illuſtri quondam Viro, NICOLAO CLAUDIO, FABRICIO *de Peireſc*, Senatori Aquiſextienſi, non Galliæ tantùm, ſed totius Reipubl. Literariæ Ornamento ſine pari, ex merito tribuit Vir celeberrimus, PETRUS GASSENDUS in ejus Vita. Iter tandem ex Sabaudia *Genevam*, inde *Baſileam* inſtituit, & quidem eum potiſſimum in finem, ut ſupremum ibidem in Utroque Jure Gradum adipiſceretur, quo etiam, ex merito ſuo, d. 26. Novembr. Anno cIↃ IↃcXVIII. publicè inſignitus eſt, unà cum quatuor Competitoribus, qui primum ipſi locum, cum ſors prius quartum contuliſſet, ultrò ceſſerunt, ob merita nimirum, quæ tam in examine & tentamine conſueto, quàm Diſputatione pro Gradu ſine Præſide habita præſtitit ſufficientiſſimè, imò ultra ſpem & expectationem eorum, penes quos honores ejusmodi ſupremos conferre fuit arbitrium. Tanta fuit in Competitoribus iſtis integerrimis meritorum conſcientia, ut eam iniquo, prout ingenuè confitebantur, cœcutientis ſortis judicio præferre non dubitaverint. Diſputationem, quam pro Gradu Doctorali habuit, elegantiſſimam de Quæſtionibus difficilioribus, ad Veterem Judiciorum formam & hodiernam pertinentibus, continet Tomus IV. Diſputationum Baſilienſium cum aliis nonnullis publicè editus; quam ſubſecuta deinceps eſt Oratio ab ipſo habita in Actu Promotionis, de cauſis calamitatum, quibus Europa hoc Seculo premitur, digna, quæ cum aliis ejus-

dem Exercitiis Academicis doctiſſimis lucem adſpiciat, & Cenſuræ eruditorum publicæ commendetur.

Peractis itaq; non ſine laude & elogio publico inſigni, quæ peragenda Actus ille promotionis in Doctorem Juris ſolennis requirebat, *Baſileâ* diſceſſit, &, jam reditum in Patriam meditans, non deſtitit priùs adire *Spiram Nemetum*, quam ob Sanctiſſimum illud & Auguſtiſſimum Cameræ Imperialis Tribunal quod ibidem etiamnum nunquam intermoritura incorruptiſſimi Nominis famâ floret, (floreat, *ô Deus*, porrò inconcuſſum quam diutiſſimè!) præ cæteris Civitatibus Imperialibus videre, ſimulque quæ ad proceſſum Juris cognoſcendum faciunt, curioſius explorare impensè deſideravit, Hinc pergens *Heidelbergam*, in notitiam ibidem venit Summorum Virorum, *Dionyſii Gothofredi & Iani Gruteri*, quorum illum Juris Civilis, hunc Antiquitatis Conſultiſſimum, utrumq; non tantum in vita, ſed & poſt funera meritiſſimæ famæ ſuperſtitem præſens quamvis nonnunquam incurioſa ſuorum ſuſpexit Ætas, & ſuſpiciet Literatorũ fortè intelligentior dicam an obſervantior ſecutura Poſteritas.

Poſthæc promeritorum honorum, civilium morum, omnigenæ denique eruditionis acceſſione auctus, ornatus, commendatus RICHTERUS, *Heidelberga* atque inſuper inſtitutæ peregrinationi valedicens, *Noribergam*, Patriam ſuam ſuaviſſimam, educatricem exoptatiſſimam, XVI. December An. cIɔ Iɔc XVIII, Numinis Divini benignâ providentiâ feliciter repetiit, interq; Parentis & Amicorum exultantium congratulationes, Deo ter Opt. Max. gratias ante omnia pro tutela ſingulari perſolvit devotiſſimas, vias ſuas eidem deinceps etiam atque etiam commendans.

Inter curas verò tùm potiſſimas erat Theoriæ Praxin Juris, & in primis cognitionem Juris Patrii ſive Statutarii Norici feliciter conjungere, quæ conjunctio tantò magis judicanda neceſſaria, quantò minus ſine uſu & exercitatione, quæ ſecundum *Ciceronem* omnium Magiſtrorum præcepta ſuperat, ad veram cognitionem pervenire licet, Nec quisquam enim, inquit eximii Nominis JCtus, *Iohann. Caſſelius* in *πολυτευομένῳ*, Cauſæ Patronus factus eſt, ex commentariis, vel in poſſeſſione caſuum, quos in Jure notavit, *τὸ ὅλον ϗ τὸ πᾶν* eruditionis ſuæ unquam poſuit. Ut gladiator in arena, ſic ex re præſenti ſæpe capiendum conſilium, quid ſit judicandum in cauſa Titii vel alterius, quæ neque ſcribi, neque dici, neque pingi, neque fingi poteſt. Acceſſit autem

ad

ad Praxin Juris Civilis *Richterus* eò inſtructior, eò aptior, eò felicior, quo diligentius antehac, dum adhuc in celebrioribus Galliæ, Angliæ, Belgii & Germaniæ Academiis verſabatur, prima tractavit, hoc eſt, ea, à quibus ad ſecunda ac deinceps ad altiora aſcenditur, ſicut fabricanti ſcalam & fundamenti ratio ante omnia habenda eſt, & primus, quanquam imus, gradus formandus quam validè fieri poteſt. Sed quam (proh dolor! à moribus hiſce, & à ratione iſthac perveniendi ad altiora hodiè receſſimus! Quam vota ſua miſeri nonnulli Parentes præcipitant! quam Pueros vix dentientes protrudunt ad ſublimem & arcanam Juris ſcientiam! quoniam nimirum omnibus Artibus antiſtat ſpes lucri; & formoſior eſt numus auri, quam quicquid Græci Latiniq; delirantes ſcripſerunt. Hoc verò quam minimè ferendum ſit, ſapiens olim quam fideliſſimè monuit vetuſtas, cui ut multa alia, ita hoc in primis inter reconditæ ſapientiæ inſtituta planè Divinum erat, ne quis à gregibus vel armentis veniret ad interpretandum, ſed ſtudiorum gradus fierent, neq; ſeveriora induebantur pueris adhuc naſcentibus, vel matrum judiciis evehebantur dominaſtri ad facultates, ſed ſeverâ primum lege proficiebant in convenientibus ætati ſuæ; neque ad turpiſſima animalia coronas tituloſq; corrupta gratia deferebat, ſed *Sola Virtus Gloriam Parabat*, prout hæc pluribus eleganter perſecutus eſt in doctiſſimis Animadverſionibus ad *Enchiridium Pomponii* JCti, ejusque Interpretes de Origine Juris, c. 6. §. 5. *Chriſt. Adamus Rupertus*, Profeſſor quondam Hiſtoriarum in Athenæo Altorphino non quidem multorum annorum, ſed multæ eruditionis rarioriſque ingenii, cujus ſpes nondum totas, famamque ſub auras venturam, intercepit Fati præmaturi iniqua & feſtinata diſpenſatio.

Sed redimus ad praxin Juris, cujus initium *Richtero* Noribergæ capiendum erat à munere Advocati, ad quod nemo niſi prævia peculiari licentia Ampliſſimi Senatus ibidem admittitur. Cujus magnifacienda Authoritas, quia ex ſpeciali Decreto hic interceſſit, tantò ſecurius ille varios ac difficiles obtrectationum, invidiæ & malevolentiæ ſcopulos, quibus vitæ hoc genus præ cæteris, malo propè fatali, obnoxium eſt, prætemavigavit quanquam, ut verum fatear, non leves aut ſpernendæ ſeſe obtulerunt rationes, quæ nullo negotio inſtitutũ poterant evertere, vel ſaltem nonnihil ſuffulminare. Modò enim animo obverſabatur illud *Taciti*: Nihil publicæ mercis tam venale eſſe, quam Advocatorũ perfidiã;

argumenta illa ruminabatur, quibus PLINIUS † POMPEJO FALCONI ſuo cauſis agendis abſtinendum perſuaſit: partim etiam ante oculos erant Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Authores, qui JOHANNEM CHRYSOSTOMUM Eloquentiæ natum, & dicendis cauſſis aptiſſimum extitiſſe, ac primam hanc ei mentem fuiſſe narrant, ut ſe foro dederet, & Advocati munus profiteretur. Sed cum ei difficile videretur, probitatem ſimul, & forenſes ac Civiles Actiones præſtare, ſtatuit tandem Sacrarum literarum ſtudia excolere, & Eccleſiaſticæ Vitæ ſanctitatem ſequi, prout refert ANNÆUS ROBERTUS lib. 2. Rer. Judicatar. cap. XIX. fol 531. Jamque aures animumque vellicabant M. TULLIUS & AMMIANUS MARCELLINUS, qui hoc Vitæ genere facilè ad illam artium ſcævitatem deflecti poſſe exiſtimabant, quâ pauci nefas eſſe credunt Religionem decipere Judicantis. Quorum ille intelligere non poterat, cur pœnâ dignus eſſe debeat, qui pecuniæ judicem corruperit, & qui eloquentiâ laudem etiam ferat; cùm tamen nihil tam incorruptum eſſe debeat in Republica, quàm ſuffragium, quàm ſententia, ita ut plus mali facere videri poſſit, qui oratione, quam qui pretio judicem corrumpit: quod pecuniâ corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt. Denique non latebant RICHTEaRUM perverſa & male ſana judicia quorundam, qui neque JUSTINIANO ob compoſitos Juris, quo utimur, libros, neque LOTHRIO Imp. ob reductos eosdem in lucem uſumque Hominum, multam deberi gratiam arbitrantur.

Verùm hiſce & aliis rationibus, quæ ad Rabulas forenſes potius quam ad veros JCtos Cauſarumque Patronos ſpectant, nihil ille commotus, neque ob pravos hoſce ſeculi mores & deplorandum Jurisprudentiæ abuſum, vadimonium tam præcipitanter deſerendum ſtatuit, quin potiùs uti finem ſtudii Juris, quam diu ei vacare contigit, non quæſtum vel ambitionem, ſed DEUM ipſum ſive Sapientiam & Juſtitiam congruentem cum mente Divina conſtituit: Ita intelligere, probare ac defendere unicè ſtuduit, quæ in Judiciis forenſibus, in Contractibus, & aliis quibuscunque rerum privatarum vel publicarum Litibus juſta, vera & recta fuerunt, & quemadmodum Divus CYPRIANUS de veris Philoſophis judicavit, ita ille de JCtis, qui

† *lib. 1. Epiſt. 23.*

Digitized by Google

qui non verbis, ſed factis tales ſunt, qui non veſtitu Sapientiam, ſed veritate præ ſe ferunt, qui virtutum magis conſcientiam quam jactantiam noverunt.

Eo ipſo itaque anno, nimirum CIƆ IƆC XIX quo licentiam Advocandi ab Ampliſſimo Senatu Norico impetravit 30. Martii, matrimonium iniit cum Vidua honeſtiſſima, Morumque & Virtutum ſplendore commendatiſſima, MATTHIÆ SCHYRERI, qui Anno CIƆ IƆC XVIII. eandem cum ſex liberis, ita ferente Voluntate Divinâ, reliquerat. Pro ſuſtinendis, quæ Marito non tam ex Legum quam ipſius Naturæ diſpoſitione incumbunt, Matrimonii oneribus, ſpem ac fiduciam defixam habuit in ſolius Numinis Divini providentiam, quæ in re familiari, quam tenuis & anguſta ea etiam ſit, utramque facit paginam, non, ut plerisque hodie ſolenne eſt, innumerum Clientum: hoc enim more, morum omnium maximè moleſto, teſte COMICO, in Menæchm. vivebatur jam olim, & vivitur etiamnum, Clientes ſibi omnes volunt eſſe multos, boni an mali ſint, id haut quæritant: res quæritur magis, quam Clientum fides, Refert ex DIONYSIO HALICARNASSEO & CORASIO BARTHOLOMÆUS AGRICOLA in Tract. de offic. boni Advocati, Clientes quaſi Colentes appellatos: & Patronos Cauſarum dictos quaſi Patres; Additque ex BALDUINO: Jus & Leges Clientelarum fuiſſe, ut Patroni ſuis Clientibus non ſecus atque Parentes filiis conſulerent, in Judiciis adeſſent, & denique proſpicerent; Clientes verò patronos ſuos, ut filiifamilias Parentes colerent, &c. Utrumque in foro maximè, cauſisque atque controverſiis forenſibus ſuo exemplo conſpicuum reddidit RICHTERUS, qui incorruptâ fide, induſtriâ ac inſigni dexteritate multorum Clientum, quibus non rarò Parentis loco fuit, oculos, ſpem ac fiduciam in ſe convertit, ut fructum inde uberrimum ad conſcientiam ſuam referre licuerit. Adverſarios ſi quos habuit mordaces ac rixoſos; hoc enim genus hominum tali functione effugere non datur, vicit eos modeſtiâ, ſicque nunquam opus habuit *Satyri* cerâ, quâ, ut eſt apud ARISTOTELEM, amici illius, cum litem habuerunt, aures illi obturare ſolebant, ne cum ab adverſariis convitiis afficeretur, propter iram cauſæ cognitio turbaretur. † Tantum verò abeſt, ut Controverſiis Practicis ſive Forenſibus unicè ac ſine intermiſſione inſudaverit, ut potius bonam Horarum partem

Digitized by Google

tem ſtudii Politici & Hiſtorici amœnitates ſibi vindicaverint. Perquam ſanè prudenter Qui enim morbo hoc inſanabiliter laborant, vel potius inſaniunt, ut ſe quibuslibet de cauſis forenſibus valdè diſcrucient, vigilando, peregrinando, ſurſum ac deorſum curſitando, quaſi nihil utile aut bonum agere queant, niſi inanes qualiscunque victoriæ ſpes & gloriolas aucupando perveniant ad ipſa cubilia cauſarum, per fora omnia volitando, ſubſidendo divites domos, &, ut Spartani canes, veſtigia ſagacius colligendo; in hos (ni fallor) maximè quadrat illud, quod dixit *Democritus*: Si Corpus animum in Jus vocaret, non futurum, ut ille malæ tractationis crimen effugeret. Longè alia, imò longè melior mens *Richtero*, qui tempora ſua cum otio liberaliori ita dividere ſcivit, ut inter meditationes forenſes alterum oculum ad ſtudia jucundiora reflectere non deſierit. Si quis laborum ejusmodi ſucciſivorum documenta deſiderat, inſpiciat tractatum elegantiſſimum *Antonii Fabri*, de variis Nummariorum Debitorum ſolutionibus, quem An. cIↃ IↃc XXII. ex veteri Editione quaſi reſtitutum, Indice & ſummariis auctum, cum docta præfatione Noribergæ ſumptibus Typographi *Simonis Halbmeyeri* de novo edidit. Addam ego, ſed pace Nobiliſſimæ Familiæ Füreriana, *Itinerarium Ægypti, Arabiæ, Palæſtinæ, Syriæ, aliarumque Religionum Orientalium.* Dn. Chriſtophori Füreri *ab Haimendorff, Equitis Aurati, Reipubl. Noribergenſis quondam Duumviri Primarii, & Franconici Ordinis Conſiliarii bellici, quod* Richterus *Anno* cIↃ IↃc XIX. *juſſu & authoritate prædictæ familiæ ex lingua vernacula in Latinam tranſtulit*; non ſine commendationis publicæ gloria, quæ Authori in primis ex peregrinationibus tantis tamque laudabiliter ſuſceptis meritò ſurrexit, & per ora non tantùm Virorum, ſed ipſius Famæ ſine fine ac termino nova ſubinde peregrinabitur ſimili certè, vel citra invidiam, majori elogio, quo olim JULIUS CÆSAR SCALIGER BELLONII Itinerarium carmine ad PETRUM NATALEM ſcripto hunc in modum prædicavit:

IGitur quum diſſipârit Natura omnia
Longè lateque, & multis diſſecat modis;
Eſt multâ dignus commendatione, qui
Diu multo labore perfunctus modum
Noſtræ expectationi ſtatuit, ac ſpei,
Confertis commentariis, puro ſtylo.

Com-

Compendioſa mole, ſincerâ fide,
Velut fecit BELLONIUS: qui dum ſua
Vita, ſuisque commodis tua commoda
Meaque anteponit, Genium defraudans ſuum,
Haud parcens ſumptui, haud metuens periculi,
Evertit maria, effodit radices Syras,
Arabia monſtra pinxit, & rerum novas
Effigies nobis, veteres quæ fuerant, facit.
Dignus, cui magnam debeamus gratiam,
Vt ille dignus, tanta qui Nobis dedit:
Ita dignus es Natalis. cui bona fide
Tantundem debeatur apponi: mihi
Qui percupienti, nec reperienti uſpiam
Feciſti, ut nunc potirer. Quare quicquid eſt,
Quod ex præſenti Lectione redierit
Tum commoditatis, tum voluptatis, Tibi
Acceptum refero: ſed ita, uti palam profitear,
Tuo beneficio ac liberalitate me
Adjutum atque auctum, nec minùs memorem tui
In hoc theatro rerum Naturæ fore. &c.

Cum itaque per quadriennium, quo vice Advocati & ſimul Conſiliarii extraordinarii functus RICHTERUS, Ingenii ſui præſtantiam, Doctrinæ varietatem, Juris peritiam, Eloquentiæ donum, Morum gravitatem, & in primis Pietatis amorem, Inclyto Reipubl. Noribergenſis Senatui egregiè commendaſſet dignus tandem habitus, qui ab eodem Anno cIↃ IↃc XXIII. in numerum Conſiliariorum Ordinariorum, & ſimul Aſſeſſorum Dicaſterii ſuperioris cooptaretur, quorum officium eſt, ſtatum cujusque cauſæ, quæ ad Judicium illud defertur, cum omnibus circumſtantiis diligenter ponderare, & ex fontibus Juris, quod rectum & æquum, in medium adferre, eâdem ex Actis Judicialibus referendi & correferendi methodo, quæ hodieque in Camera Imperiali ſervatur. Poterat certè non immeritò ad ejusmodi honorum primum ingreſſum exhorreſcere RICHTERUS, &, quaſi Dœmonio Socratico revocante, retrò pedem referre, partim cum adſpinoſiſſimi hujus officii difficultates, laboresque concatenatos, partim ad Anteceſſorum, qui ante ipſum Illuſtri huic Reipublic. à Conſiliis fuerunt, famam, ipſis etiam Iconibus & Cineribus eorundem hucusque ſervatam, oculos animumque convertit: Ejusmodi enim veteranorum, quos inter præcipuè GUGE-

GUGELII, HERELII, HELDII, SCHEURELII, CAMERARII, REMI, OLHAFII eminebant, gloriam qui intuebatur, quibus non Jurisprudentiæ tantùm, ſed ipſi etiam Muſarum fontes ſimul patebant, facilè animadvertere poterat, quam iis, quibus in primo Reipubl. aditu penè etiam rivuli ſunt occluſi, invidiâ comparationis ſit erubeſcendum. Nonne igitur artus ſuos arteſque melius librare debuiſſet RICHTERUS, in tantam Reipubl. deſcendens palæſtram, in qua non rarò Exiſtimationis damno deſudaſcitur? Verùm recovare pedem fas non fuit amplius, neque etiam integrum; jacta erat alea, & jacta non cœco quodam impetu, ſed addente animum in primis Ampliſſimo Reipubl. Senatu, cujus Authoritas ſumma, & in eligendis Conſiliariis Judicium planè amuſſitatum, uti præmium laborum & induſtriæ uniuscujusque eſt ampliſſimum, ita contra quæcunque obſtacula præſidium ſimul præbet certiſſimum. Nonnunquam enim in ſucceſſoribus locum habet illud Poëtæ:

- - Primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili floreſcit virga metallo:

Et ut in magnis ſæpe etiam voluiſſe ſat eſt, ita ſedula imitatio eorum, quos Vitæ ac Doctrinæ conſummatione ſtatim exprimere non licet, pro generoſo laudeque digno conatu habetur. Non pœnitebit hîc imitari DIONYSIUM HALICARNASSEUM, qui, ut refert Doctiſſimus RUTGERSIUS in Variis Lectionibus, in Arte Rhetorica c. περὶ λόγων ἐξετάσεως cum docere vellet, quâ potiſſimum ratione in legendis Veterum ſcriptis conſequi poſſimus, ut illis in dicendo quam ſimillimi evadamus, eleganti ſimilitudine uſus eſt. *Faciendum*, inquit, *nobis id, quod ruſtico cuidam contigiſſe ferunt. Is, cum vultu admodum turpi ac deformi eſſet, vereri cœpit, ne & liberos ſui ſimiles, hoc eſt, turpes ac deformes procrearet, quæ formido*, inquit, *eum pulchros ac formoſos procreandi artem docuit. Effictis enim ſimulacris quibusdam venuſtis ac decoris, ut ea perpetuo intueretur, mulierem aſſuefecit, ac deinde cum illa congreſſus, ut liberos eâ ſpecioſos pareret, imaginationis vis effecit. Similiter*, inquit, *in oratione facienda, cujus ſimilitudo tum demum paritur, ſi quis illud imitari ſtuduerit, quod in unoquoque præſtantiſſimum eſſe videatur.*

Spem itaque tam præclarè de ſe conceptam minimè falli, neque facem ab Anteceſſoribus ſuis in officio accenſam

ſam extingui paſſus RICHTERUS, poſt triennium, quod in prædicto Dicaſterio Noribergenſi velut optimus Conſultor, non ad privatum odium aut gratiam, ſed ad Juſtitiam Cauſæ publicamque Utilitatemque Conſilia ſua attemperans peregit, Anno clↄ Iↄc XXVI. ab Ampliſſimo Senatu inde avocatus, gravioribus magisque arduis Reipubl. Negotiis admoveri cœpit. Habet Respubl. hæc inter multa præclara & hoc, ut, ſi quid gravioris momenti incidat, ad Senatum, à Senatu ad JCtos, quorum non ſemper certus eſt numerus, referatur. Non ignotum eſt judicium FRANCISCI ALCIATI, in Epiſtola nuncupatoria ad ANTONIUM PERRENOTUM GRANVELLIUM, quâ Conſiliariorum multitudini prudenter peperciſſe ait CAROLUM V. Imperatorem, quod hujus GRANVELLII PARENTEM, NICOLAUM PERRENOTUM GRANVELLIVM, ſolum rebus omnibus Pace & Bello conſultandis pertractandisque præpoſuit. Multitudinem enim Conſiliariorum ſæpenumero negotia perdere aut præcipitare, quod, quo plures ſunt homines, eò facilius inter ſe diſſentiant. Cæterùm ab hac opinione, quotquot etiam alii eidem ſuffragari velint, tantò magis diſſenrire fas eſt, partim quod hic ipſe ALCIATVS, initio prædictæ Nuncupatoriæ ſibi planè contrarius, ingenuè confitetur, nihil æque Principibus vel cuicunque Regali faſtigio convenire, quam viros prudentiâ, probitate, juſtitiâ inſignes ſibi aſciſcere, quos ſemper arduis de rebus oportunè conſulere, cum quibus Imperii arcana tutò communicare, quorum maturo judicio, labore aſſiduo, diligenti operâ tantam Regnorum molem rectè diſponere, feliciter regere & gubernare queant; partim quod omnium temporum Hiſtoriæ, & magnorum Principum res geſtæ teſtatum faciant, longè tutiora & prudentiora fuiſſe ea Conſilia, quæ à pluribus tractata, quam quæ unius mente agitata fuere, prout exemplis luculentiſſimis latius demonſtrat JOHANNES ZANGERVS JCtus, Præfat. in Tractatum utiliſſimum de Exceptionibus.

Sed ne fortè hæc quis ad ſolos Imperatores, Reges ac Principes referat, in primis de Republ. hac Noribergenſi graviſſimè differentem audiat ſupra laudatum JCtum, SCIPIONEM GENTILEM, in Laudatione funebri HIERONYMI BAVMGARTNERI, ubi hoc ipſum vel magnificentiſſimum in ea laudat & mirificè extollit, quod pluri-

biit modeſtia ejus, cui ſummi honoris loco jam fuerat, placuiſſe ſupremo in terris Moderatori. Tantum ſcilicet poteſt vera Animi Virtus, ſuaque ipſa ex ſtirpe nata atque efflorescens, non aliunde & adventitiis ex rebus adſimulata, & collecta Dignitas, ut veriſſimè judicavit ſuprà laudatum illud generis Humani Oraculum, quem nihil fugit eorum, aut quæ fuerunt, aut quæ ſciri poterant, SCIPIO GENTILIS.

Porrò, ſi quid à gravioribus Reipubl. negotiis, quod tamen raro contigit, temporis ſuperfuit, id libentiſſimè ſeduloque impendit curis & ſtudiis amœnioribus, inprimis in commodum Academiæ Altorphinæ, quam, quia ibidem prima ſtudiorum alimenta, velut lac ex almæ Parentis uberibus, hauſerat, ſemper amore ſincero & conſtanti proſecutus eſt, Annus erat cIↃ IↃc XXXI. quo à Magnifico Reipubl. Senatu modò dictæ Academiæ Pro-Cancellarius nominatus, mirâ alacritate ſummaque cum voluptate munus illud per vicennium obiit, variis iisque doctiſſimis Orationibus, in Renunciatione Doctorum Juris, Medicinæ vel Philoſophiæ publicè habitis, quarum adhuc in vivis *tres Decades publici Iuris fecit*, non tam proprio motu, quam ſuaſu & impulſu eorum, qui nonnullas ex iis deſcribendas ſibi petierunt. His acceſſerunt duæ poſtremæ, *trigeſima* nimirum *prima & ſecunda*, quarum illa *de Arcanis Aulæ Iuſtinianeæ*, hæc *de Raritate Poetarum, ejusq; cauſa*, An. cIↃ IↃc LI. Altorphii habita, quas Epiſtolis ejusdem ſelectioribus præmittere, ſimulque hac vice publico donare placuit.

Incredibile dictu eſt, quam recrearit RICHTERUM, denſiſſimorum negotiorum mole ſæpe fatigatum, liberalior quandoque & velut intercalaris in Viretum Academicum ſeceſſio. Sed inevitabilis illa rerum humanarum viciſſitudo, omnis propè felicitatis pediſſequa, quæ noſtræ dulcedini acorem & amaritiem ſuam plerunque affricat, etiam *Richtero* noſtro felicitatem illam non ſinebat totam. Eodem enim anno, quo Univerſitatis Altorphinæ Procancellarius eligitur, obruit illum inopinantem, inveteratum illud multisque hodie in primis fatale, & ipſa appellatione, multis quidem in riſum, iis verò, quos tangit, in horrorem deſinens malum, Podagra, quam paucis deinde annis poſt, ne quid ægritudini per ſe ſatis calamitoſæ deeſſet, ſecutus eſt dirus ille, &, experientia teſte, multò immitior tot eruditarum Animarum Carnifex Calculus, qui duo ac propè

individui comites, valetudinem RICHTERI magis magisque reddebant vacillantem. Ita nimirum Homines ſumus, quos, cum in conſummationem Dignitatis per mille indignitates aſcendimus, miſera illico ſubit cogitatio, nos laboraſſe in titulum ſepulchri. Ut eos nunc taceam, quorum, ut ait Romanus ſapiens, ultima ſenectus, dum in novas ſpes ut juventa diſponitur, inter conatus magnos, ſæpe deficit invalida. O felices nos, ſi, quid in tanta rerum humanarum inconſtantia optare, imò, quid ſequi debeamus, in promptu ſit. Cumque in ipſa etiam expectatione & in votis quædam vis ſit, mortales immortalitati in his terris quaſi præludere diſcamus, hoc eſt, omnino & dicere & facere, quæ digna Deo, digna Cœlo ſunt. Hanc viam, imò hanc vitam uti à teneris jam ineundam ſibi propoſuit RICHTERUS, ita eandem, potiſſimum ingraveſcentibus, ut fit, quotidie morbis, ſecutus ; eſt. Quoties per curas Reipubl. quotidianas licuit, ad Sacrorum Bibliorum non modò, (quæ decies, & ultra, ab initio ad calcem usque legendo abſolvit) ſed & variorum Theologiæ Doctorum ac Patrum in primis Lectionem crebriorem divertit. Cui bono ſacras ejusmodi meditationes impenderit, loquuntur hodieque partim ejusdem DIGESTA PIETATIS, ſive de Cultu Orationis Collectanea Theorico-Practica Anno cIↃ IↃc XXXVI. Noribergæ edita: partim nonnulla opuſcula magni illius DANIELIS SENNERTI, & incomparabilis ERASMI ROTERODAMI, quorum hujus de Præparatione ad Mortem & de Miſericordia Divina: Illius verò de bene vivendi beateque moriendi Ratione, è lingua Latina, in uſum eorum, qui linguam hanc non callent, in Germanicam puriorem tranſtulit, typisque imprimi curavit. Sunt heredibus ejusdem ad manus adhuc multa è ſcriptis Theologicis ERASMI hujus ROTERODAMI Germanicè translata, ſed quæ lucem forte cum adſpicient, cùm melius convenerit Mercurio cum bona Minerva, quod non ſperandum, niſi cum ad meliorem mentem redierint illi, qui Lucro & Literis ſimul operam dare æquè difficile putant ac ſorbere & flare.

Poſt Lectionem SS. Bibliorum & Patrum, impenſè amavit, & admiratus eſt, Scripta B. LUTHERI, PHILIPPI MELANCHTHONIS, modo nomine nominati ERASMI ROTERODAMI, & HUGONIS GROTII, quod in iis non ſolùm ubique veræ Pietatis Praxisque Theologicæ veſti-

veſtigia, ſed & animum & Conſilia in cauſis Religionis moderata, frugifera & pacifica, hoc eſt, ad concordiam Eccleſiaſticam in primis ſalutaria & verè neceſſaria deprehendere licuit. Cum CASSANDRO enim, Viro moderatiſſimo, intrepidè ſtatuit, Moderationem & Æquitatem multò plus ad Eccleſiæ pacificationem conducere, quam nonnullorum rigorem atque ſeveritatem, qui odium potiùs partium quàm Concordiæ ſtudium præ ſe ferunt. Elegantiſſimè hac de re diſſerit de la Noüe in Præfat. Diſcurſ. Politicorum: *Il faut* inquit, *eſperer, que ceſt exemple enreſu illera pluſieurs autres, lesquels voyans, Combien une voix moderée par raiſon eſt agreable, aux pris des crieries & invectiues pleines d' aigreur (lesquelles comme clochettes de Corybantes, ne ſervent qu' à troubler les ſens des plus raſſis) ils s' efforceront d' engrauer pluſtoſt en leurs eſcrits ce que Dieu leur aura donné pour l'Inſtruction de la poſterite, que la vehemence des deſordonnees affections dont noſtre aage ne recoit que trop de blaſme & de dommage, &c.* Et quæ ibidem plura ſequuntur. Inter præclara ejusmodi piæ moderationis exempla, modo laudato CASSANDRO Artic. VII. de Eccleſia, & Artic. II. de Peccato Originis, in primis commendantur CYPRIANUS & JOHANNES HOFFMEISTERUS, quod ille, in tanto circa locum illum ſententiarum diſſidio, Pacis & Unitatis Vinculum conſtantiſſimè retinuerit, cauſamque ſuam non cum acerba inſectatione aliter ſentientium, ſed ſumma animi modeſtiâ defenderit; cùm tamen tot per Africam & Orientem Epiſcopos idem ſecum ſentientes & facientes habuit; hic verò in excutiendis & explicandis Articulis Auguſtanæ Confeſſionis, præter eximiam eruditionem, ſummum quoque Candorem & Moderationem adhibuerit. Sed quantum, (heu!) quantum receſſit à moribus & exemplis hiſce præſens hæc Ætas noſtra, diſſidiis & contentionibus Chriſtiano homine indignis feraciſſima; quam ſi intuebitur futura aliquando Poſteritas, felicem ſe agnoſcat, quod in eam non inciderit, cujus ſic illam, tanquam ea vixerit, pudebit. Nos certè, fruſtra noſtris freti conſiliis, malorum ac diſſidiarum ejusmodi finem nobis haut pollicebimur, niſi in placato DEO JEHOVA noſtro, qui, ſi pejora prioribus adjicere tandem deſierimus, precibus noſtris unanimi Concordiæ ſtudio ſubnixis exorabilis, littoris hujus *Sarpedonii* fluctus ſolus mitigare poteſt.

Ad ſuprà nominatos Theologiæ Doctores, LUTHERUM,

RUM, MELANCTHONEM, ERASMUM, alioſque ut redeamus, non opus eſt multis hic aſſerere, quot & quanta ſinguli ſcripſerint volumina, quæ ſi dicam obiter nonnunquam conſulta aut pro re nata evoluta tantùm à RICHTERO, injuriam facerem ſtupendæ ac propè incredibili hujus Viri induſtriæ, qui ſingula hæc volumina unà cum HUGONIS GROTII ſcriptis Theologicis, quæ tam in vetus quàm Novum Teſtamentum extant doctiſſima, ne pagellâ quidem excepta, legendo abſolvit, quod ex ipſis Exemplaribus, quæ notas marginales propriâ manu ſcriptas ſingulis propè foliis continent, doceri poſſet. Rarum certè in JCto, rarius in Viro Politico, quotidianis Reipubl negotiis circumvallato, rariſſimum in eo, qui cum morbis ſæpe conflictatur, & nihilominus ſibi, tantoque oneri & tantæ lectioni supereſt. Nimirum hoc ſolenne eſt eximiis ingeniis, quæ perpetuum laboribus indicere bellum, & ſibimetipſis quietem invidere ſolent, nec unquam torpenti otio cum dehoneſtamento ſuccumbere. Accedit, quod nunquam graves ipſi, ſive noctu ſive die id eſſet, interrumpentium amicorum acciderint moleſtiæ; quin uti patientiſſimus erat laborum, ita in hoc eò magis gaudere ſibi viſus eſt, quod nonnunquam etiam invidi ejus ope & operâ promptiſſimâ maximè fuerint delectati. De ISAACO CASAUBONO, incomparabili omnigenæ Eruditionis Heroë, memorant, & admirantur hodieque omnes, qui vél legunt, vel audiunt, illum valetudinarium, inter lentos morborum ignes, ſuſpiria, ſtillicidia, aliaque mortis ſatellitia, ſolo animi ardore & conſtantia incredibili fretum, plura elaboraſſe, quam alium, qui flore ætatis & valetudinis faſtigio excelluit. Quin & longo deniq; cum laboribus & morbis conflictu fractum non animo, ſed membris, non mentis acie, ſed organis, ad ultimum usque ſpiritû in demandato munere ſumma cum laude perſtitiſſe.

Idem certè, abſit invidia verbo, de RICHTERO lubentiſſimè profitebitur, qui in annos illos potiſſimum inquiret, quos in declinantis valetudinis ſtatu propè viginti vixit, ſi vivere eſt, tanto temporis ſpatio, in ſinu quaſi geſtare apertæ mortis inſtrumenta.

Ergò, inquies, nulla omnino recreationis aut licitæ voluptatis intercapedine, continuas haſce laborum, dolorum curarumque miſerias, quibus confragoſum hoc iter emenſus eſt, ſedare contigit? Quantò felicior eorum conditio, qui

qui ſub denſa latitantes umbra, tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem vocant, animi marcentis oblectantes torporem, corpora ignavia pallentia, ut eſt apud SENECAM, cibis ac potionibus intra hortorum latebras ſaginare conſueverunt? Sed quid? Incuſabimus ne hic miſeram RICHTERI plusquam nimia, imò penè inhumanâ diligentia adeoque propria culpa ſibi accerſitam ſortem? an Fati iniquitatem reprehendemus? Vereor certè, ne hoc non liceat; alterũ verò in noſtrum recidat dedecus! Quanquam, ut verum fateamur, illum adhuc nobis haberemus ſuperſtitem, ſi parcius uſus fuiſſet laboribus, & parcius etiam aquis acidulis; ſedentaria enim vita aquis iſtis valdè inimica, & nimia, quam dixi, diligentia valetudinem pesſundederunt, morbosque accelerarunt, quibus tandem extinctus eſt. Septennium verò ex omni vita ejus memorare licet, quod inter ſummas amœnitates & lubentias ante obitum tranſegit, cum Anno cIↄ Iↄc XLIV. filium unicum, JOHANNEM GEORGIUM, ſalvum non modò ex itinere reducem, ſed & eodem anno Utriusque Juris Doctorem, Maritum & denique, biennio poſt, Reipubl. Patriæ Conſiliarium, adeoque pari ſecum in Honoris ac Dignitatis gradu conſtitutum vidit, eique ad annum usque cIↄ Iↄc LI. cum quinque nepotibus ſumma voti in pectore piè cuſtoditi felicitate ſuperfuit. Hunc uti ſemper, ut apud graviſſimum Poëtam graviſſimè filium, Parens Aſcanium, monuit, ut virtutem ex ſe, verumque laborem puer diſceret, fortunam ex aliis, quo verſu nullum dulciorem toto illo poëmate QVINTILIANUS aſſerere non dubitavit: ita Reipubl. vitæque hominum communi vel quam maximè prodeſſe, ſi inde à ſuccreſcente ætate, veluti ad morum cynoſuram, virtutum omnium, famæ honorumque exempla petantur, cum ſolertiſſimis Moralis Philoſophiæ Doctoribus rectè ſemper cenſuit. Acceſſit lætitiarum, quas nemo niſi Parens intelligit, cumulo, quod in quem ſe totum tranſtulerat Pietas, in ejus cura & amore conquieſcere potuiſſet ætas Parentis ingraveſcens, quæ dulce ſolatium ſibi ſpondere ſolet in liberis bene natis, bene educatis. Verùm, in tam brevi felicitatis momento, ſpes inchoare ulteriores non permittebat *Richtero* quaſi ſupra caput adſtans, decretoria Fati neceſſitas, Idcirco voluntati Divinæ ſine murmuratione obtemperandũ duxit, præcipuè cum jam mali aſthmatici aliorumq; ſymptomatum feſtinata vehementia nil niſi mortis imminentis indicia repræſentaret. Sæpe in memoriam ſibi

revocavit illud SENECÆ: *Nunquam magnis ingeniis caram eſſe in corpore moram, ægre potius has anguſtias ferre & velut ex alto aſſueta deſpicere humana.* Quid? quod ſapientis potiùs ſit toto animo in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac ſemper ferri cupidine, ad cœleſtia & ſubli-miora ut tendat. Hiſce & aliis meditationibus animum piè præparando eos, quos ſuperſtites lege naſcendi optavit, & quos præcedere inter juſtiſſima ſemper vota habuit, ſic amore ſe debere agnovit, tanquam nihil ſibi de eorum perpetuitate, imò nihil de felicitatis illius, qua nati ſui unici natos vidit, diuturnitate promiſſum fuerit.

Magnam & diu diſcendam rem olim ſapientiſſimi Philoſophi exiſtimarunt, cum adventat hora illa inevitabilis, æquo animo obire. Tantum certè abeſt, ut noſter mortem quantumvis ſibi jam proximam pro iniqua aut terribili unquam habuerit, ut potius paucis, antequam eam oppeteret, horis vocem Chriſtianæ conſtantiæ ac fiduciæ pleniſſimam omnibus adſtantibus notatu dignam viſam ediderit, *nimirum tanto ſe gaudio beatum vitæ ſuæ finem anhelare & expectare, quanto præſtolari ſolent pueri anniverſaria illa ac Natalitia dona, quibus religioſa quadam ſimplicitate venerari ac recolere ſolent memoriam recens nati SERVATORIS noſtri.* Sæpe in vita optavit, ut in ipſo mortis articulo, & ante ultimum vitæ ſpiritum, præſentiâ Viri ſummi, plurimum Reverendi & Theologiæ Conſultiſſimi DN. JOH. MICHAELIS DILHERRI, Concionatoris in hac Urbe primarii, & Gymnaſii ibidem Directoris prudentiſſimi vigilantiſſimique frui liceret, partim ob ſinceræ & exploratæ amicitiæ fidem, partim ob præclara in rem Eccleſiaſticam merita, tum verò & vel in primis ob rara & eximia dona, quibus Vir ille in erigendis ex verbo Divino morituris & jamjam agonizantibus cum admiratione excellit. Quid fit? Sanè peropportunè, & quaſi ſingulari DEI Opt. Maximi juſſu & providentia accidit, ut DILHERRUS, qui RICHTERUM nihil de morte ejus vel præſumens inter cæteros amicos inviſere deſtinarat, eo ipſo tempore domum ægrotantis intraverit, quo voti ille ſui ex aſſe particeps fieri poterat. Lecto itaque appropinquantem cognoſcit, & prædicti voti ſui memor amice excipit, ſalvere & aſſidere jubet, variosque cum ipſo tum de ſtatu vitæ æternæ, tum de iis, qui, verbis JOHANNIS in Apocalypſi, vicerint, albisque veſtientur veſtimentis, non ex merito, ſed imputatione ac

ac vi gratuitæ promiſſionis Divinæ, ſermones miſcet; tandem edoctus per multas ac varias tribulationes ingredi nos oportere Regnum Cœlorum, annuit conſolanti, & lumen, quodjam aderat, accendi petit, ut DILHERRI faciem meliùs cognoſcere poſſet. Ille hoc ſermone indicium deficientium, imò penè fractorum oculorum capiens, precationibus ſacris & in primis Oratione Dominicâ ac repetitione & uberiori Symboli Apoſtolici explanatione inſtat, maximeque hæc verba: *Et vitam æternam Amen*; attentiſſimo CHRISTI athletæ inculcat, quæ inter ſolatia efficaciſſima RICHTERUS nulla vel minimi doloris aut cruciatus ſigna edens, ſed dextram ſuam DILHERRI dextrâ oculos poſtea placidiſſimè obdormiſcentis claudente complicans, die 9 Decembr. circa ſextam veſpertinam Anno cIↄ Iↄc LI. nec dum completo anno ætatis ſexageſimo, animam, nemine abſtantium propè advertente, in manus REDEMPTORIS ſui, pie, beatè ac feliciter exhalavit, atque ita vitæ pro Reipubl. ſalute per triginta annos laudabiliter peractæ memoriam, ſummo illo, & ultra, quod nullum eſt, QUI BENE VIVIT, BENE MORITUR, faſtigio, feliciſſime coronavit, dignus omnium bonorum, hoc eſt, eorum applauſu, qui virtutum & in Patriam meritorum rationem etiam poſt funera habendam non ſolùm fatentur, ſed & reipſa præſtant. Multis, quod verum ſcio, Reipubl. Noribergenſis Civibus RICHTERUS noſter flebilis occidit, nulli verò flebilior, quam relicto filio & filiæ unicis, ut &, quos inter charitates ſuas præcipuas ſemper habuit, nepotibus, qui eodem luctu & eadem voce Parentis & Avi piè defuncti manibus parentare geſtiunt, qua JULIUS CÆSAR SCALIGER quondam filio *Audecto Cæſari* parentavit: *Profecto lachrymæ tollantur, gemitus, lamentationes, ſive hoc temporis Imperio, ſive alterius fortunæ juſſu; lugendi tamen nobis erit perpetua cauſa atque ſempiterna.*

Ad Eminentiſſimum JCtum,

DN. GEORGIUM RICHTERUM.

SI Richtere, velim Te Neſtora dicere; verum
Dixero: Conſilio es Neſtor & Eloquio.
In dubiis quoties poſcit Reſpublica rebus:
Promtus es utibiles indigitare vias.

Dicentem audivit, ſtupefactus flumine, Cæſar,
Rex, Electores, Corcla Serena Ducum.
Solventem linguam Norica admirantur Athenæ,
Romanaque Virum ex urbe rediiſſe putant.
Auribus hic nil do: Vero dixiſſe minora
Me, dicent, quotquot gemmea ſcripta legent.
Addent, ſi faveant Virtuti: Vivat hic alter
Ætatem Neſtor Neſtoris alterius.

JOH. MICH. DILHERRUS.
SS. Theol. & Phil. P.P.

SCRIPTA.

Oratio funebris in obitum Summi & Incomparabilis Viri, Erneſti Soneri: *Altorph.* 1613. in 4.

Digeſta Pietatis, ſive de cultu orationis collectanea Theoretico-Practica: *Norimb.* 1636 in 12.

Orationum Decas prima: *ibid.* 1638. Altera 1644. Tertia 1651. in 8.

Epiſtolæ ſelectiores ad Viros Nobiliſſimos Clariſſimosque Datæ ac redditæ: *ibid.* 1662. in 4.

Diſp. ad difficillimam legem 57. Heredes mei ff. ad SC. Trebellian. &c. *Lugd. & Batav.* 1616. in 4.

Memoria Georgii Nœsleri in Oratione publicè habita: *Altdorphi* 1651. in 4.

PRÆCO

PRÆCO FUNEREUS,
LAVDES ET EXEQVIAS
D. JUSTI SI-NOLT
Cognomento Schützen/
JURE-CONSULTI CONSUM-
MATA JURIS SCIENTIA,
CANCELLARII AMPLISSIMÆ
VIRTUTIS EMINENTIA.
DICENS, NUNCIANS:
ACADEMIAE PRO-RECTORATVM
GERENTE
JOHANNE NICOLAO MISLERO,
S. THEOL. D. ET PROF. P.

GRÆCORUM mos erat, ne mortui ipſorum honore ſolenni fraudarentur, octavo ante ſepulturam die per præconem funus indici, ut ad honeſtandas exequias confluerent omnes: Præconem hic emittere, ſuadet, honeſtas. Juſta JUSTO perſolvere, noſter in optimè meritum adfectus jubet, noſtra in pientiſſimè Defunctum pietas: Parentalium ſolennitates primitus celebratas, refert Polydorus ex inſtituto Pelagii Romani Pontificis: Iſidorus altius repetit. Autores advocans Apoſtolos. Ab Hebræis ad poſteritatem tranſiiſſe modum exequiarum, Ambroſii judicio quidam ſentiunt. Novimus ex hiſtoria ſacra demortuum Iſraëlem luxiſſe per ſeptuaginta dies: Moſen magnum illum Hebrææ gentis Antiſtitem, licet ipſe DEUS, tumulo ſuppreſſo, exequias fecerit, næniis & leſſu proſecuti ſunt Iſraëlitæ, poſt mortem deſideratiſſimum: Samueli Prophetæ, cujus apud

 poſte-

poſteros & fidelitatis & juſtitiæ extabat monumentum, funebria perſolvuntur, populo in cœtum collecto, lamenta & planctus audiuntur acerrimi: Scilicet ex monito Siracidæ, *Viros Inclytos laudibus evehamus* & memoriam Eorum poſt mortem exuſcitemus: Quamvis nec ipſa Celebrium merita ſe raræ poſteritati commendare deſinant, non tamen noſtrum deficiat præconium ad famæ uberiorem extenſionem. Ex divina clementia huic adhuc ſeculo ſiſtuntur Viri in omnigena rerum ſcientia verſatiſſimi: Quibus pro annata quaſi dexteritate omnem peritiam in publicum conferre, curæ eſt. Qui bifrontem Juris Oceanum peragrant. Legum vigorem exactè cognoſcunt, ad juſtitiæ limites & Reipublicæ nervos convertere norunt, non defuerunt Haſſiæ: vidit illa Gothofredum Antonii, Kitzelium, Vultejum, Neſenum &c. Reipublicæ fulcra: Amiſimus Eheu! maximo cum damno Reipublicæ tum literariæ, tum Civicæ *Iure-Conſultum Exquiſitiſſimum: Magnificum noſtrum* Cancellarium, *Haſſiæ Iubar, alterum Papinianum, Themidos Oculum, Aſtreæ Decus, Muſarum Caput, Patriæ Lumen*: Infelicem meum Pro-Rectoratum dico, qui de tanti Viri deceſſu condolere jubeor & ſub finem Ejus funus tam luctuoſum cernere, idque proſequi triſti calamo in evulgando programmate: Scio me dolentem laudes VIRI *Celebratiſſimi* non aſſecuturum, amplius enim dicendi genus requirunt, quam ut opera ſuperficiaria poſſit ſatisfacere; Dicam tamen feſtinante ſtylo, quæ ſummam Vitæ ac officii laudatiſſimè peracti referent, copioſiora Rhetorum ornatus exhibeat ſuo tempore. Laudans & mœrens hîc dico ſatis laudatum CANCELLARIUM Schützen/ cujus nec funeri deerunt acerbiſſimi luctus, fuſiſſimæ lachrymæ & calentiſſimi gemitus: Vitæ fini nectamus primordium, ſiquidem *ex illa, qua primum naſcimur hora, prorepunt junctim vitaque morsque pede.* Num enim prima lucis *aura* potius *mortalis*, quam *mors vitalis* appellanda, neutiquam cum Auguſtino addubitandum. Vitæ natalia dedit DN. CANCELLARIO Butisbacum Wetteraviorum, Oppidum quidem ſtructura parvum, Viris tamen Magnis in uſum Haſſiæ educatis ſedes aptiſſima; Anno æræ Chriſtianæ 1592. die 8. Aprilis natus, quo denatus & ex vivis exceſſit ſapientiæ, juſtitiæ & eruditionis, ſtudiorum cumprimis Mathematicorum laude fulgentiſſimus Princeps Guilielmus Haſſiæ Landgravius &c. Ex fortunæ quaſi ludibrio

Digitized by Google

ludibrio homines tum magni tum parvi naſcuntur, parvi tum magni denaſcuntur, jubente ita viciſſitudinis humanæ lege: Naſci verò non tam precii habendum loco, quam bene naſci; Ortum trahit optimum Beatus noſter Cancellarius ex *Parente Honeſtiſſimo*, HELVICO SINOLD Cogn. Schützen/ *Sereniſſimorum* LUDOVICI & GEORGII HASSIÆ LANDGRAVIORUM *Cellario ac Officiali* ibidem; Et *Matre Lectiſſima* ELISABETHA de WENIX, WOLFFGANGI de WENIX FILIA: Fortunatum verè conjugium è quo tantus prodiit FILIUS! O FILI, quam felices, qui Te genuere Parentes! Virtutis & ſummæ indolis ſemina latitare diu neſciunt; Naſcuntur enim & Juvenibus Cani ſæpè, ut ſit *ætate puer*, *mente ſenex*. In pueritia lucebant optimæ ſpei præſagia ac eruditionis ſolidæ præludia, de quibus verè illud Silii Ital. de Piſone dici poteſt: *Ore puer puerique habitu: Sed corde ſagaci æquabat ſenium atque aſtu ſuperaverat annos*: Æſtuans enim SCHUTZIUS amore literarum & diſcendi fervore, ſtudia ſua exercuit in Academiis: Gieſſenſi, Marpurgenſi, Colonienſi; Animum adverterat Jurisprudentiæ in excolenda illa ſub Jure Conſultorum celebrium auſpicio omni niſu ſuam collocavit operam. Cùm verò eruditio non uno capiatur in loco, ſed variis in terris mille modis quæratur, iter ſuſcepit in Galliam, inque Academia Pontemuſana ſeu Muſſipontana, quæ circa annum 1580. in Lotharingia inclareſcere cœpit, ſtudiorum telam pertexuit: *Animum ſc. in veſtibulo præparavit*, ut cum laude *verſari potuerit in triclinio*, juxta Rabbinorum proverbium: Reverſus inde Spiram petiit, ſupremam illam Romani Imperii Curiam, in qua non exſpirare ſed ſpirare decet juſtitiam, ubi per tempus aliquod commoratus. Pedem retulit ad Academiam Gieſſenam, ſperans ab ea laboris & eruditionis brabea: Dignus enim eſt miles fortis in acie repertus, qui cum ſtipendio reportet ſpolia: In palæſtra virum præſtans, à Brabeuta laurea redimitus abit meritò. Bene merentibus ſua debentur præmia: Doctoreos honores anno hujus ſeculi 19. in Brabeuterio Gieſſeno ſummo cum applauſu inter gratulantium cœtus, obtinuit, pro celebrata ſcientia Juris, tum publici tum privati; Quorſum verò ſapientia abſcondita & theſaurus obſcurus: quæ utilitas ex utriſque ſperanda, juxta Siraciden? Sapientiæ radii mittantur in publicum, ſcientiarum theſaurus aperiatur aliis. Præſtitit hoc recens creatus

Doctor

Digitized by Google

Doctor in diverſis Collegiis dexteritatem ſuam demonſtrando, ſeque rei Academicæ natum abundè docendo: Hinc & ſingularis eruditio vias Ei paravit ad Profeſſionem Extraordinariam Juris publici in Academia Marpurgenſi, Anno 1625. feliciter obtentam, & Anno 26. inſecutam ordinariam. Curiæ tot illuſtres loquuntur, teſtantur Europæa loca, quot ingenia ex felici Ejus informatione cultiora prodierint, quot admirati fuerint Ejus dotes eximias, quot pendere voluerint à lingua diſerta Doctoris SCHUTZII, quos ad pedes ejus ſediſſe pœnituit nunquam, ſuo enim cum emolumento in bonum publicum fruuntur dictis tanti Doctoris: Studii excellentia commendavit Eum Aulæ, pertraxit ad arcana *Principis noſtri Sereniſſimi*, qui Anno 1629. à Conſiliis ſibi eſſe voluit: *Impoſſibile enim eſt, ut ſalubriter diſponat Principatum, qui non agit conſilio ſapientum.* Veterum eſt veriverbium. In conſilium adhibuerunt Romani Præſides ſuos Jure peritos, quos ut comites in Provincias ſibi concreditas adſciverunt, ad dijudicandum res dubias; quin & Magnus ille Iſraëlitici regni Princeps conſtituit Joſaphatum à Commentariis, Lutherus reddidit Cancellarium; Banajam *σύμβουλον*, juxta LXX. Sarajam Scribam, ut publicis officiis præeſſent & judicia pro tuenda ſubditorum ſalute exercerenr. 2. *Sam.* 8. Sapientia Regibus ſingulis ſuperior Salomon in Conſiliariorum multitudine ſalutem Reipublicæ ponit, *Prov.* 11. *Βουλῆς ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον* ex Menandri judicio. Labaſcenti ſtatui ſuccurrere maturo conſilio nihil eſt utilius: Fideli Conſiliario committuntur ardua negotia: Suſtinuit noſter Cancellarius legationes diverſas ad Imperatorem, Reges, Principes, quibus & ea perfunctus eſt dexteritate & ſucceſſu felici: Eâ peregit fide, prudentiâ atque animi conſtantia, ut ſibi famam exinde contraxerit perennantem. Exteri in conſilium vocarint canam & exploratam Ejus ſcientiam, quâ permoti diverſi Imperii Status ad officia ſplendidiſſima Eum vocarunt: manſit tamen in fide Sereniſſimi noſtri Principis, qui merita Ipſius citra præmia extare noluit: Hinc ad munus *Conſiliarii intimi & Cancellarii* fuit evectus, gubernamina junctim tenens, in Dicaſterio & Academia. Res rari Exempli! Corporis unius gubernatio conjuncta eſt cum moleſtiarum ac laborum agmine: Corporibus præeſſe duobus, vires conceſſit divina benignitas, ut ad clavum ſedere licuerit in foro tum Academico tum Civico: In ordinatio-

ne

ne Concilii Moſen ſollicitum eſſe jubet Jethro de (Anſchei Chajil.) Viris animi conſtantis & infracti: Tales & Virtutes *noſtro Cancellario* Deus conceſſerat, ut utrinque ſuppetias ferre potuerit tum conſulendo, tum decernendo. Commendant Romani ſuum Papyrium Jurisprudentiæ Cultorem. Trojani ſuum Riphæum, tanquam juſtiſſimum. Prienæi ſuum Biantem à juſtitia & integritate: Commendabant Haſſi meritò ſuum SCHUTZIUM à vigilantia & laboribus, pro Patria geſtis. Quibus oneribus ſufferendis pauci erunt vel pares vel prorſus ſuccumbentes: Utinam ope ſua diutius ſubvenire potuiſſet publicis! Utinam dies ſuos in longius ævum protraxiſſet, in ſpem communis ſubſidii! Sed quorſum opus vota votis addere? Mortis prodromus, morbus & ægra ſenectus ultimum vitæ terminum prænunciarunt: Mors, quæ *Iuveni in inſidiis, Seni ſtat in januis,* leges ſuas urgebat: Siniſtra enim valetudine correptus ante duos menſes de remedio ſalutari cogitavit: Acceſſit Medici induſtria, quæ morbo ingraveſcenti aptam medelam oppoſuit, vel ad imminuendum vel prorſus opprimendum illum. Non eſt in medico ſemper relevetur ut æger: Ultimum igitur ſupererat aſylum ad medicinam cœleſtem confugere: Editâ ergò pia, fideli ac devota confeſſione, ſalutiferum illud Corporis & ſanguinis JESU CHRISTI Sacramentum pro viatico accepit, in beatam ex hac ærumnoſa vita emigrationem ad Cœlicam Patriam; Scivit, mortem ubivis expectare hominem: *Beatè Defunctus* obviam proceſſit morti, quavis hora expectavit eam magna animi conſtantia: Anhelus ſuſpiravit ad horam: ſupremam: Cogitans illud Poſſidonii in vita Auguſtini: *Si nunquam bene, ſi aliquando cur non modo?* Domo igitur diſpoſita & benedictione millecupla Liberis impertita, *Vale* atque iterum *Vale* dicto cordi conjunctiſſimis, vitæ finem exoptatum vidit: placidiſſimè obiit 12. hujus menſis Decembris paulò ante horam ſeptimam matutinam: Butisbacum noſtro CANCELLARIO dedit ortum, Gieſſa parat exitum & ſepulchrum: Samos genuit Pythagoram, texit Metapontus, Virgilium dedit Mantua, Brunduſium abſtulit: Non in uno loco & cunas & urnam extrui videmus: Mors ubivis ſuum habet domicilium: Non moritur, bene qui decedit è vitæ diverſorio:

Vitâ

Vita quidem naturali defunctus eſt *Beatus Cancellarius*, ſed vivit in *fama*, mori neſcia. Ennij Epitaphio apud Cic. teſtante: *Nemo me lachrymis decoret, neq; Funera fletum faxit: Cur? Volito docta per ora virum.* Vivit in *virtutis* & honeſtatis *encomio*, nunquam extinguendo, Præfixum ſibi habebat illud Papiniani l. 15. ff. de condit. inſtitut. *Quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt*; Bene proinde qui vixit, malè obire non poteſt Mortuus vivit in *Liberis* Patriam virtutem & effigiem referentibus. Mortuus eſt Pater, & quaſi non mortuus eſt, *ſimilem enim reliquit ſibi* poſt ſe, Siracides ait cap. 30. Fortes creantur fortibus & bonis: Vivit in *Vita* nunquam deſitura, juxta animam ovans ac triumphans, cujus Canities cum honore immeat ſepulchrum. Quis non animæ Beatæ de gloria ac felicitate gratuletur? Intereà Pectora gemebunda triſtiſſimo leſſu anhela dicunt: *Tu patriam repetis triſti nos orbe relinquis*: Lugent Caput ſuum ademptum truncata corpora: Lugent Patronum ſuum clientes: Parentum ſuum Filij, Funeræ ſeu proximè agnatæ ſuum delicium: Pars altera cordis, vulnere ſtillans, dimidiatam alteram cum lachrymis & planctu dimittit ad ſepulchrum. Deploratus eheu! ſtatus eſt, lamentis aëra implere, ejulatione triſtiſſima affectus animi teſtari, cum Poëta: *Dividor haud aliter, quàm ſi mea membra relinquam & pars abrumpi corpore viſa ſuo eſt*: Contra communem mortalium morem ex teſtamento ſuis interdixerat Ludovicus Cortuſius Juris Conſultus Patavinus lachrymis & ſolitis funerum lamentationibus: Abeſſe prorſus voluit lugubria & ad mœrorem compoſita: Contrà acciri juſſit omne genus hominum cantorum ac tibicinum; Duodecim innuptas puellas, viridibus pannis amictas, feretrum ſubire & ſine planctu ad ſepulchretum comitari voluit: Inſolitus exequiarum modus! Nos Chriſtiani non vetamur lugere mortuos, ſed ejulationes lugentium abſint à ſpe Chriſtianæ Reſurrectionis, illas ſuo tempore invaluiſſe, ait Chryſoſtomus, his geſtibus incompoſitis: Nunc oſtentant pectus & dolores ſuos, cruentant brachia, ſcindunt capita, laniant genas, partim ob dolores, partim ad oſtentationem: Moderatus noſter ſit luctus ob CANCELLARII noſtri obitũ, non enim *amiſimus*, ſed ad æterna gaudia *præmiſimus*. Vivit anima inter beatiſſimos Cœlicolarum Choros, corpus exanime

animæ gelidum recondet ſepulchrum: Alios enim honores merent Piorum oſſa & exuviæ, quàm ut cum Romanis, Græcis & Colchorum gentibus deſtinentur rogo, vel ad Barbarorum mores abjectè tractentur; Spiritus S. in Vita domicilia, honeſtè poſt mortem in terræ gremio tumulentur: Efferetur & funus noſtri *in Chriſto defuncti* hora 9. ad Dormitorium ſuum; Ite ergò Exequias, *Vos Academ.ci* & Omnes, quibus fama SCHUTZIANA eſt cordi. Juſti memoriam recolite, cujus in æternitatis albo nomen eſt ſcriptum. Meretur Honos Defuncti, merita quæ extant, ſupremum illum exigunt honorem: Solatium erit *Nobili Familiæ* SCHüTZIANÆ; Veſtro quoque officio & juventa erit digniſſimum, ultima honoris officia præſtare Seni Jure Conſulto, Seni *Cancellario*, Seni, in Chriſto Salvatore ſanctè demortuo. Ex funere Senum metiri diſcite Juvenilis veſtri floris inconſtantiam. Pro quotidiano mortis Cippo veſtris inſcriptum ſit animis: *Memento & diſce mori.* De Johanne Joviano Pontano, circa annum 1506. vivis exempto, conſtat, ſibi ipſi ante mortem tale poſuiſſe Epitaphium: *Scis jam, qui ſim, aut qui potius fuerim, Ego verò Te, hoſpes, noſcere in tenebris nequeo, ſed teipſum, ut noſcas, rogo,* VALE! Qui jam ſitis, quinam futuri, probè ſcitis; noſcite vos ipſos, noſcite DEUM, noſcite mundum, diſcite mori, VALETE & bene precamini Academiæ, denuò ob Seniorem Facultatis mœrenti. Perſcriptum 22 Decembr. ſub Sigillo Academiæ majori: A. Chriſti cIↄ Iↄc LVII.

Concio funebris habita fuit Magnifico huic Cancellario, à D. *Petro Haberkornio*, ex Pſalm. 119. 72.

EPITAPHIUM.

M. S.

RESURRECTIONIS. SPE. CORPUS. SUUM.
HIC. CONDI. JUSSIT.
JUSTUS. SINOLT. COGNOMENTO. SCHUTZ.
JURISCONSULTUS. POLITICUS. ORATOR.
NULLI. SUO. ÆVO. SECUNDUS.
QVI. CUM. IN.
GEORGII. II. HESSORUM. LANDGRAVII &c.
CONSILIO. SECRETIORI. CONSILIARII.
DICASTERIO. PROVINCIALI. ET. ACADEMIA.
GIESS.
CANCELLARII.

PLU-

Digitized by Google

PLURIESQVE. IN. REBUS. GRAVISSIMIS.
AD. IMPERATOREM. REGES. ELECTORES.
PRINCIPES.
LEGATI.
MUNERE.
SUMMA. INTEGRITATE. PRUDENTIA.
INDUSTRIA. FUISSET. PERFUNCTUS.
PIE. PLACIDEQVE.
DENATUS.
REPARATÆ. SALUTIS. ANNO.
M. DC. LVII. M. DECEMBR.
ÆTATIS. SUÆ. LXV. M. VIII. D. IV.
CONJUGI. PARENTI. OPTIME. DE. SE. MERITO.
POS.
VIDUA. LIBERIQVE. MOESTISSIMI.
M. DC. LVIII.

SCRIPTA.

Diſſertationes de Vicariis Imperii Romano-Germanici eorumque jure & officiis: *Gieſſæ* 1621. in 4.

Exercitationes juris XXV. Diſputat. ad Inſtitutiones Juſtin. *Marpurgi* 1629. & *Gieſſæ* 1656. in 4.

Collegium Feudale: *ibid.* in 4.

Collegium Publicum Diſpp. XXX. De ſtatu rei Romanæ: *Marp.* 1640. in 4. Volumen ſecundum: *ibidem* 1653. in 4.

Collegium Pandectarum Diſp. XV. *ibid.* in 4.

Diſputavit quoque publicè de jure Pacis: de inveſtitura de cauſis Patriam poteſtatem conſtituentibus & diſſolventibus: De Appellationibus, & de ejuſmodi materiis aliis.

PANE-

PANEGYRICUS,
Nobiliſſimo Viro,
GEORGIO FRANTZKIO,
JC. Com. Pal. Cæſar. Cancellario, Conſiliario intimo, Eccleſiaſtici Conſiſtorii Præſidi Saxo-Gothano.

Cùm is anno ætatis LXV. Chriſti M. DC. LIX. die XV. Januarii, diſceſſiſſet Gothæ, ſcriptus

à

MARTINO HANKIO.

FAtum illud, quod Aulam Gothanam, inter Illuſtriſſimas emendatiſſimam, omnium Virtutum, in primis proſcriptæ paſſim temperantiæ, pietatis ubique rareſcentis, fœcundam genitricem, nutricem imcomparabilem, tertiò abhinc anno cœpit percutere, nondum deſinit ferire. JOHANNIS PHILIPPI, tenerrimi Principis, qui terris ſe, non permittere, tantùm oſtendere debuit, quo immaturior, hoc acerbior caſus, cum delicias Celſiſſimis Parentibus, & populo ſpes eriperet, quas ortus dederat: velut experiebatur vires, animosque luctui majori præparabat. Hanc enim, non multò poſt, excepit calamitas durior, eaque, tanquam ſi juſtus dolor non niſi pluribus ex malis oriri poſſet, gemina, cum, intra dies pauciſſimos, Illuſtrium Virginum, quas humanior terrarum pars, Europa conſpexit, facilè nobiliſſimum Par, SOPHIAM & JOHANNAM, Sorores, ſupra ætatem, ſupra ſexum, ſcientiis atque virtutibus eminentes, ultimæ vis neceſſitatis, quæ mortales manet, exſtinxit. Ex una Domo, tam brevi temporis intercapedine, tot Illuſtria Corpora ſepulcris tradidiſſe, parum erat; mox etiam Pignus maximum, Hæres imperii proximus, fuit efferendus. Non multum abeſt, quin, magnitudine dolorum victus, obmuteſcam. Certè,

quod ſuo exceſſu JOHANNES ERNESTUS, Flos Sæculi præſentis pulcerrimus, toti Germaniæ, non uni Saxoniæ, nuper attulit damnum, ſingulis luctuoſum, nemini reparabile, nos tam premit, ut lacrumas in ſtuporem, in ſilentium querimonias convertere valeat. In hoc Principe noſtra vidiſſet ætas ANTONINUM PIUM, JUSTUM ARISTIDEM, PISONEM FRUGI, FELICEM AUGUSTUM, TRAJANUM OPTIMUM, quem priſcis temporibus opponere potuiſſet: Heroëm, ſimul dotibus, ſimul virtutibus inuſitatis tantò celſiorem, quantò per ſe potior Heros Chriſtianus unus paganis omnibus. Neque, culminibus exitialis, ad inferiora mitior deſcendit tempeſtas. Ipſa privatarum ædium infortunia publicam lugendi materiam nobis dederunt. Nam in SALOMONE GLASSIO Theologum, non proletarium, ſed claſſicum amiſimus, qui totum orbem Chriſtianum ſingularis induſtriæ monumentis erudiit, venerabilis apud ſuos, exteris admirationi.

II. Toties perculſam afflictamq; Gotham noviſſimè concuſſit ruina ſummi & nobiliſſ. viri GEORGII FRANTZKII. Quantam in hujus morte jacturam univerſum Imperium Romanum, Saxonia præſertim, & in eâ conſummatiſſimus Princeps ERNESTUS, Patriæ Pater, ille Dictator Pietatis ſæculo ſuo perpetuus, fecerit, neminem latere poteſt, cui præclara Beati merita vel mediocriter innotuerunt. Videas ob hanc cladem multis in locis, Illuſtriſſima quoque Capita non pectora modò privata, ſentire luctam mœroris, jacentisque gravi deſiderio ingemiſcere. Verùm, nec ſitos ad vitam revocare lamentis lacrumisq; valemus: & eſt inexplicabilis decretorum divinorum natura. Virili patientia ſe muniant, oportet, quos exercet hoc fatum. Interim, juſtis exequiarum perſolutis, res, quas vir tantus geſſit, à poſthumâ communis oblivionis injuriâ decet aſſerere, tantò magis æternâ poſteritatis memoria dignas, quo rarioris exempli ſunt. Fateor, hoc felicioribus relinquendum ingeniis eſſe, quibus ſibi, cum adſtruunt aliis, immortalitatem nominis aſſequi contigit. Cæterum, pro virili parte virtutes maxime notabiles in publicum exponere, laudabilis audaciæ: non nullo, quamvis non juſto, præconio Manes, elogia, ſumma promeritos, mactare, ſimplicis pietatis eſt. Itaque cujusvis negotium eſſe poteſt: & illius officium eſt, qui defuncto ſe magnis

magnis beneficiis devinctum ſentit. Quo nomine ſi pertinet ad quenquam, incomparabili parentare FRANTZKIO, meum eſſe, pronus agnoſco, gratus profiteor. Enimverò, multis è documentis publicè notum eſt, quod FRANTZKIUS me fratremque meum germanum, non dilexerit, ſed amaverit: quod pro fortuna in ſalutem utriusque formanda, nec unquam abjecerit curam, & eò geſſerit affectu, qui providum in filios patrem loquitur: ſive Patronum adeo benignum nobis effecerit communis patria: ſeu vetus commoverit affinitas: ſeu ſtimulaverit amicitia, cum parente noſtro primis adoleſcentiæ temporibus contracta, quam omni deinceps ætate coluit, intima, cujus ſerum nos fructum capere voluerit. Etenim, an viri benevolentiam res in nobis aliqua, vel excitaverit, vel aluerit, equidem neſcio. Illud in præſenti me ſolicitum & anxium habet, quod de viro maximo & diſertiſſimo facturus verba, non à me proficiſci videam, quæ tot Illuſtriſſimis in Aulis ſpectati Oratoris facundiam deceant, exiſtimationi reſpondeant. Melius cenſetur, de Chartaginis laudibus tacere, quam pauca dicere. Cum opus, quod aggredior, mecum reputò: nihil de FRANTZKIO, quam eo quicquam indignum ſcripſiſſe, conſultius habitum iri, facilè cogitationibus præcipio. Sed, quam vereor culpam, ſi tentavero effugere, graviorem incurram. Parum eloquentis, quam minus grati, dedecus ferre malo: malo, me facti pœniteat, quam omiſſi pudeat.

III. Cum Leones, Barros, Pantheras, vel alia noſtris inuſitata regionibus animalia videre contingit, ſolemus in terras inquirere, quibus naſcantur beſtiæ tam nobiles. Quin gratulamur interdum locis, quotidiana videntibus, quæ nobis ſpectaculum fiunt. Simile quiddam viros magnos admirantibus accidit. Quamvis ad eorum dotes raras & inſolitas patria nihil, certè parum faciat: cognoſcere tamen gaudemus, quo ſuum ortum adeo illuſtria nomina referant. Ita quidem eſt: telluris, ubi trahere ſpiritum cœpimus, neque magna celebritas vilitati noſtræ colorem addit: nec ingens obſcuritas detrahit noſtræ gloriæ. Cum enim fortuita res, non arbitrii noſtri ſit, clarum vel ignobile ſolum natale ſortiri; nemini per ſe poteſt, nec illud in laudem ſingularem, nec iſtud in enormem turpitudinem cedere. Quamobrem, in excellentium virorum

Digitized by Google

vitis commemorare, quis in lucem editos primum adſpexerit locus, eorum nihil refert: ſed tamen ad decus patriæ nonnihil intereſt. Quæ, cum ſuorum ex vitiis maculam ſuſtineat, ex virtutibus gloriam ſibi rectè vindicat. Quippe, ſicut oras ipſas dedecoris, & tantum non criminis damnamus, unde, ſupra cæteros, ſceleribus infames prodierunt; ſic ad felicitatem & ornamentum locorum interpretamur, enixas in iis matres, præſidia rebus publicis, miracula ſæculo ſuo poſteriſque daturas. FRANTZKIUM debemus Sileſiæ doctiſſimorum virorum, neſcio, feliciori genetrici, an ſtudioſiori nutrici. Fertiliſſimis agris abundat, ubi natus eſt, Leobſchutzium, inter urbes in Carnovienſi Ducatu nobilis, per hunc, indolis fœcundiſſimæ, ſolo patrio ſimillimæ, civem, ultra mediocritatem prioris famæ, magno celerique ſucceſſu, progreſſa. Certè, dum FRANTZKIUM civem, ſimul etiam, cur aliis cum urbibus, quarum magnitudini cedit, potentiæ ſuccumbit, de primatu recentis honoris certare poſſit, conſecuta videtur; ſi vel maximè nihil aliud, quo gloriari valuiſſet, antea poſſediſſet. Patrem nactus eſt ſui nominis, eximiæ virtutis, prudentiæ ſingularis mercatorem: à quo ſuſceptus eſt ex MARGARETA REIMANNIA, non honeſtæ tantum, ſed etiam honoratæ familiæ.

IV. Liberalior eum Natura, quem pauciſſimis parem, pleriſque ſuperiorem reddere decreverat, neceſſariis ad excellentiam inſtrumentis donaverat: &, qui poſſet in eximium minimè vulgaris eruditionis exemplum creſcere, mox, cum interiora prodere didiciſſet, ingenio felici, judicio ſubtili, memoriâ tenaciſſimâ cenſebatur. His quoniam acceſſerunt, obſequii gloria, diſcendi cupido, laborum patientia: nemo miretur, quod FRANTZKIUS nobis FRANTZKIUM, id eſt, virum eminentiſſimum, dederit. Mollis, & in quamcunque formam flecti cereus, in ſuis Parentibus videbat, quod imitari, decorum: ab iis audiebat, quod ſequi, ſaluberrimum eſſet. His efficacibus monitis ad egregia domi ſuſcitatus amabilior puer ibat, elegantior ephebus contendebat, & à quibus acceperat ſpiritum, ab iisdem, ſummum educationis optimæ fructum, elaboratam morum rectitudinem, ipſo ſpiritu potiorem, juvenis reportabat. Nihilo tardior ad virtutem in Scholis, ut erectioris, ita conſpectioris ſemper indolis erat: cenſores ſuſpenſos reddere ſolitus, cum FRANTZKII concinnam

mo-

morum temperiem, crebrum pietatis exercitium, perpetuum verecundiæ ſtudium, transgredientem vires induſtriam majorem annis doctrinam æſtimarent: quem ſibi, quem publico virum promitterent. Hac lege fiebat, ut quo per ſe concitatior ad metam procurreret, ſpem, in Genitorum Præceptorumque gaudium, celeriter impleturus: ingentem conatuum ardorem eò felicius utriq; profligarent.

V. Nondum adoleſcentiæ lubricum egreſſo, ne quod impedimentum occurreret ad honeſta ſimul & utilia multò longius progreſſuro, benignum divinæ providentiæ fatum proſpexerat. Id jam ætatis, quæ cum notabili corporis augmento, grandius animi pondus conſecuta, quò plus habet virium, eò majus in periculum ruere conſuevit, florenti *Bregenſium* Gymnaſio traditus, & in ſtudiorum magiſtros, quales hactenus coluerat, doctos, fideles, probos incidebat: & condiſcipulos, accuratiſſimis legibus in officio retineri dociles, nanciſcebatur. Quô felicitatis genere num præſtantius in juventutem cadat, meritò dubites. In quibus enim doctoribus, vel eruditio deſideratur, vel cum invidiâ, cum ignaviâ dominantur mores, ſeu improbi, ſeu inculti: ſuos ii nævos in auditorum animos plerumque transfundunt. Quibus autem literariis in ludis inter adoleſcentes prorſus exſulat timor, unius pauciorumve protervia liberior contagio ſuo tantam cæteris in transverſa cupidinem afferre ſolet, quantam impunitatis oſtentat fiduciam. Quæ labes immaturam pubis mentem corrumpit eò facilius, quo intentius in exempla, præceptis poſthabitis, fertur: remiſſius affectuum procellas cohibet, rariusque victoria ſui delectatur. Gratulandum igitur FRANTZKIO noſtro venit, quod in uno eodemque Lyceo, virtutum ſcientiarumque ſimul pronos cultores, ſimul idoneos profeſſores adeptus ſit. Inter illos NICOLAUS HENELIUS, inter hos JACOBUS SCHICKFUSIUS eminebat: ille quidem poſtea decantatiſſimus in Sileſiâ JCtus, Imperatoris Romani, Bregenſium Ducum, Uratislavienſium Civitatis Conſiliarius: hic verò tum Rector Gymnaſii Bregani ſpectatiſſimus: cordatior, quam ut exemplo ſuo quicquam perverſitatis adoleſcentiæ ſuaderet; multò peritior, quam ut rei ſcholaſticæ ſoli præeſſe poſſet. De qua multos per annos majorem in modum meritus: ſeu, ut catenatos & in faſtidium deſinentes labores ab humeris ſuis devolveret, ſeu, ut à contemtu, qui temporum, non, ut par erat, publicis meritis aſſurgentium injuria, ſe-

dulos juventutis reges formatoresque manet, Ordinem ſuum vindicaret, &, in eo reperiri, doceret, qui poſſint è tribunali jura viris reddere, non è cathedra ſolùm præcepta juvenibus tradere: tandem operas in Gymnaſio literatas civilibus in Aula negotiis permutabat. His ne videretur inhabilis accedere, non niſi pro teſtimonio publico ſupremos honores, quos intelligentiſſimis legum viris Auguſta permiſit autoritas, in Academia conſecutus, Illuſtriſſimi Bregenſium Ducis conſiliis adhiberi ſe patiebatur: ad ultimum, Regii per ſuperiorem Sileſiam Fiſci Patronus, ipſius Inviƈtiſſimi Cæſaris Conſiliariis adſcriptus. Tantò ſtudiorum moderatore, ſicut FRANTZKIUS firma doƈtrinæ gravioris fundamenta ponebat, ſic poſtea ſecurus iis molem ſcientiarum grandem adſtruebat.

VI. Literis Academicis initiandus Francofurtum Viadro adſitum conceſſerat. Ibi non diu commorato GEORGIUS REIMANNUS Avunculus, apud Regiomontanos clariſſimus Eloquentiæ Profeſſor, faciliorem monſtrabat viam aſcendendi conſpicuum ſapientiæ faſtigium, in quod maximè nitebatur FRANTZKIUS. Etenim, ut humilis & plebeja mens, imò contenta ſubſellio, quicquam ſupra vulgus, ne cogitat quidem, nedum molitur: ſic contra ſublimis & generoſus animus ſuprema ſemper concipit ac petit: Naturæ prudentis æmulus, quæ ſuis in operibus quodlibet perfeƈtiſſimum reddere ſtudet: reddit etiam, niſi per obſtacula prohibeatur. FRANTZKIUS, cum ad Muſarum illud in Boruſſia nobiliſſimum emporium, Regiomontium, profeƈtus veniſſet: ut erat ſolidioris peritiæ cupidiſſimus, quo majores ingenio repoſuerat opes, hoc ſemper avarior plures appetebat. Admirabiles animi dotes, mox diſputator ſubtilis, mox diſertus orator, mox ingenioſus poëta, nunquam otioſus, explicans, ipſos cum Academiæ civibus Profeſſores in ſe converſos, quid de FRANTZKIO futuris temporibus pollicerentur, expeƈtatione multiplici reddebat incertos. Nimirum clarioribus indiciis tum ſe proferebat ille FRANTZKIUS, cujus nomen haƈtenus reſp. literaria ſummis, aut æquavit, aut prætulit. Proceſſerat eò ſcientiæ, qua fretus, in diverſas metas præcipuam diligentiæ curam dirigere poſſet. Ut ingenium poſt hæc Juris potius, quam Theologiæ ſtudiis applicaret, HENNINGI WEGNERI, Regiomontanorum JCti celeberrimi, conſiliis & auſpi-

Digitized by Google

ſpiciis adducebatur. Qui, cum intelligeret optimè nihil decedere publico, juſtitiæ bonus in Eccleſia Doctor, an optimus in Foro Patronus evaderet FRANTZKIUS: quoniam per eum legibus potiſſimum civilibus conſulere volebat, conſcientiæ quodam præſagio velut monitus, lumen accendit, quod univerſo Jurisprudentiæ regno fulgentiſſimos immiſit radios. In id tempus, Boruſſorum Ordines ampliſſimi decreverant, de maximis rebus ad Regem Poloniæ potentiſſimum Legatos mittere Varſaviam. His FRANTZKIUS, digna Regibus pridem animo celſo meditatus, comes adjungebatur necesſarius, adeo non inutilis. Nam ejus beneficio, commentarios Legationis cauſam, quantum ſatis erat, expoſitam complexos, Aula Regia legebat Romana civitate donatos. Tum attentus & circumſpectus peregrinator, vicini Germanis populi regimen atque jura, non tantum cæremonias moresque ſingulares, notavit.

Aquilam, cum ipſi lumini Solis intendit, oculos acuere, tantum abeſſe commemorant, ut lædat. Simile quid accidit FRANTZKIO, qui regalis magnificentiæ, varium & lucidiſſimum ſplendorem in ſpectatores transmittentis conſcius, ad cœptam ſtudiorum telam prudentior & confirmatior, adeo non hebes atque corruptus, Regiomontium redibat. Primarium eruditionis fructum cenſebat, inſervire commodis aliorum. Quamobrem paulò antè, quam in Poloniam ſe contulerat, tres nobiliſſimæ proſapiæ juvenes in contubernium ſuum erudiendos receperat. Eos, ut formaret in mores optimos, & impleret doctrinæ, nihil intentatum relinquebat. Neque ſucceſſus exoptatus deerat. Cujus, & ſimul eruditionis atque virtutis FRANTZKIANÆ documentum illuſtre non adeo multis annis poſt fuerunt GEORGIUS RAUSKENIUS & JOHANNES ALBERTUS TRENCKENIUS, Equites Prutenici, quos Imperii Romani potentiſſimus Septemvir Brandenburgenſis, & in conſiliorum ſecretiorum ſocietatem aſſumſit, & provinciis ampliſſimis præfecit.

VII. Talem FRANTZKIUS apud Regiomontanos per onam egerat, cum in Academiam Salanam, neſcio qua permotus ratione, diſcederet, Ibi, quo velut ad uberrimas

Digitized by Google

nundinas, inſtructiſſimus abierat, merces plurimo labore partas, exponere gaviſus, ingeniis ſelectioribus veram ſolidamque Juriſprudentiam, incredibili dexteritate, mirâ promtitudine tradebat. Non amat, niſi rarò, in eundem cadere: difficiles artes, & didiciſſe fideliter, & docere feliciter poſſe. Non enim quæ capacibus & avidis animis facilè comprehenderunt, omnes planis & rotundis verbis affatim reddere valent. Quin ſæpius viri præclari, quantò ſunt ad intelligendum magis ſubtiles & acuti, tantò ſunt ad dicendum minus faciles & expediti: ſeu quod multi, dum ſapientiæ ſtudiis animum exornant, exercitiis loquendi defraudent linguam: &, dum crebro, vel auribus excipiunt dicta, vel oculis ſcripta ſubjiciunt, ſtilum manui, vel nunquam vel nimis rarò, in eloquentiæ gratiam, committant: ſeu, quod munera ſua Deus ita plerumque diſtribuat, ut alicubi liberalior, alibi parcior deprehendatur. Quorum altero carere ſolent alii, noſter Roſcius utrumque conſecutus erat: &, quæ magno diligentiæ, pari ſolertiæ documento, vel obſervaverat, vel invenerat, ſuis auditoribus non minori facundiâ communicabat: ingenuo ſemper animo, nulla, nec invidia, nec arrogantia correptus, quibus alias vitiis laborare conſpicimus, quos ſupra vulgarem conditionem inimitabilis evexit genius. Hac integritate cum in communem ſalutem transferre conaretur, quicquid aſſecutus in literis erat: non temerè dixerim, quod patuerit exemplis, quantum boni præceptoris opera poſſet.

VIII. Jam omnes optimi maximique JCti numeros impleverat. Id unicum reſtabat, ut qui neque paucis, & eximiis argumentis ſuam erudito ſæculo ſcientiam probaverat, iis quoque ſatisfaceret, qui de viris præſtantibus, ſeu per imperitiam, ſeu per conſuetudinem ſolis ex honoribus atque titulis judicare conſueverunt. Quare conſilium init eam dignitatem ambiendi, quam in arte Juris exercitatiſſimo cuique propenſus Imperatoris favor indulget. Id temporis, ad triennium, Jenæ ſubſtiterat, probatiſſima vita, doctrina multiplici, præſertim legum, quas profeſſor, extraordinaria licentia, privatus, ſed quibusdam publicis, & doctior, & celebrior, interpretatus erat, inter omnes clariſſimus. Ex JCtorum Collegio, quem imitaretur, in exemplum ſibi propoſuerat VALENTINUM RIEMERUM, excellentiſſimum virum, ſive ſcientiam juris, ſeu felicitatem, docendi ſpectes. Cum eò literarium commercium habe-

habere ſolitus, egregias lectiſſimæ Virginis ANNÆ MARIÆ virtutes adverterat, præcipuè pudicitiam, qua ſe caſtis ſpectatoribus ſingulariter amabilem reddebat, æſtimare propenſior cœperat. Patre nobiliſſimo & ampliſſimo JOHANNE WEXIO, Illuſtriſſimi Saxonum Ducis Altenburgenſis Cancellario, inſignibus in Remp. meritis, antiquæ probitatis & fidei cultore nata, tum orba, Sororis, quam RIEMERUS in matrimonium acceperat, in domicilio vivebat. Eam, in proſperis dubiisque ſociam, non ita pridem ſibi deſignaverat. Adeptus igitur honores Doctoris, partes Mariti ſuſcipiebat, & in torum, cujus pœnitentiam nunquam ſenſit, ſperatam ſolenniter aſſumebat; unò die, duplici lætitia beatus, ob laboris exhauſti præmium, exhauriendi levamentum.

IX. Poſt hæc, magis reſpicere, magis venerari FRANTZKIUM diverſis locis ſedebat. Cæteris præveniens, Ordinem Laremque Civi ſuo comiter offerebat Patria, tum demum orſa, rectius intelligere, quod olim, & protuliſſet, & educaſſet pignus: idque ſibi jure maximo repetere videri poterat. Sed ea conditio civitatis Leobſchutzienſis erat, ut afflictos ſuis penates vix in præſens ab hoſtibus aſſerere, nedum in futurum proſperos promittere valeret. Itaque FRANTZKIUS, ut etiam ſe reſpiceret, nec imminenti periculo committeret temerè, cum ſuaderet prudentia, peregri munus incertum exſpectare, quam oblatum domi ſuſcipere, maluit. Sic quidem eſt; cui debemus vitam, ei telluri debemus etiam vitæ fructum: at officio ſuo jam ſatisfacit, qui, Patriæ ſuæ quod nequit, interim Orbi ſolvit, omnium communi Patriæ: quam inter ſapientes cum Socrate nemo non credit ſuam. Quisquis ſæculo ſuo vivit, ubicunque vivat, Patriæ ſuæ vivit.

X. Hactenus utilitatem publicam, & habitis ſcholis, & ſcriptis editis, provehere conatus, id perfectionis, velut in præmium, reportaverat, ut, quibus emergere poſſet, modi paterent plures. Nullam etenim, nec in Foro, nec in Academia, nec in Aula reperiſſes facilè provinciam, ſeu Politici, ſeu JCti ſtudiis quocunque pacto reſpondentem, cui ſuſcipiendæ, cui ſuſtinendæ FRANTZKIUS non eſſet. Igitur, cum inter Profeſſores Academiæ Salanæ vacaret ſubinde locus, ſicut non alter, qui ſuccederet, omnium judicio, dignior exiſtimabatur: ita primum ampliſſimus Ordo JCtorum, mox Philoſophorum

ſpectabile Collegium, ſuis FRANTZKIUM adjungere laborabat: ille quidem, ut auſpicatiſſimis legum interpretationibus: hoc autem, ut ingenioſiſſimis, vel Hiſtoriarum & Poëſeos, vel practicæ Philoſophiæ commentationibus, Jenenſes Athenas nobilitaret. Quibus nominibus iterum & ſæpius ab utroque Profeſſorum genere commendabatur iis, penes quos erat ſuprema de rebus Academicis ſtatuendi poteſtas. At enim, neſcio quo fato, tam juſtas ad ſpes, nunquam reſpondebat eventus, ſeu, quod invidia premeretur, quæ comes magnæ virtutis perpetua: ſeu quod (manifeſtam in verecundiam eſſe ratus, quam eruditionis probabilem fiduciam interpretari potuiſſet) petere non auderet, quæ malunt alii rapere, quam expectare. Quot enim plus, quam par eſt, ſui memores, patronorum gratiam ſubmiſſis & repetitis anxium in modum precibus defatigare ſolent! Quas cum ſentiunt incaſſum adhibitas, ſe convertunt ad machinas, & viam emergendi per cuniculos, ſæpe cum aliorum ruina, ſibi tandem aperiunt. Quod impudentis animi ſcelus extremum, quibus ſemel frons periit omnis, duram conſcientiam adeo non emollit, ut profectuum in ſtudiis excellentiam honoribus acquiſitis cenſeri cupiant. FRANTZKIUS, ſicut indolis erat moderatæ, fortunam deteriorem ferens, non affectabat, ſed ſperabat meliorem. Quæ tandem, quibus ſponte ſuâ venit, quos ex improviſo amplectitur, eos ſemper & blandius habet, & honeſtius tractat.

XI. Naturæ conceſſerat, quem ante laudavimus, de juris ſcientiâ præclariſſimo ſucceſſu meritus vir HENNINGUS WEGNERUS. Ejus, quem olim præceptorem feliciter æmulatus erat, tum verò penitus referebat, ut in ſe partes ſuſciperet, diligentiam & fidem in docendo, de qua ſibi gratulabatur, amiſſam reſtitueret aliis, FRANTZKIUM Academia Regiomontana ſuffragiis omnibus ad unum conſentientibus expetebat. Itaque cui benignum antea civi ſuo præbuerat hoſpitium, certam ſedem promittebat & honorificum inter ipſos Patres aſſignabat locum. Statuerat noſter FRANTZKIUS ſequi fata, quo vocabant. Sed inire conſilium penes nos eſt: non in noſtra ſemper manu, quod placuit, exſequi. Civilis incendium belli, quod latiſſimè diffuſum, omnem propemodum Europam, non modò Germaniam, depaſcebat,

Digitized by Google

ſcebat, & in favillas redigebat, cum itineri longinquo crebrum objeciſſet impedimentum, denique propoſitum ipſum intercipiebat. Nempe divinitus ita decretum erat, ut, qui voce, qui monumentis docuiſſet alios: is argumentum patientiæ diuturnum dare juſſus, etiam, quid factis, quid exemplo ſuo præſtare poſſet, alios doceret: adeoque palam faceret, quorum alterum pauciſſimis contingit, utrumque ſibi conceſſum, & ſcire ſummo viro digna, & agere.

XII. Plurimis annis cœleſtiſſimo ingenio reconditas opes in ſalutem communem ſatis exſerendi, quem nunquam voluntas, ſemper occaſio defecerat. Hæc tum demum opportuna ſe proferebat, cum ab Illuſtri Schvvartzburgenſium Comite, CAROLO GUNTHERO, Rudolphopolin ad capiendam Conſiliarii provinciam vocaretur. Ei quod abundè ſatisfeciſſet FRANTZKIUS, defuncto generoſiſſimo Maritò, Celſiſſima Vidua, ANNA SOPHIA, Princeps Anhaltina, virilem in fœmineo pectore ſagacitatem teſtata, quidvis potius, quam id permittere malebat, ut FRANTZKIUS, perſpectæ ſatis, & integritatis, & prudentiæ vir, conſiliis ſuis ex Aulâ ſubduceretur. Cujus merita ſicut ex vero æſtimabat, ita compenſabat ex æquo. Fuerunt hæ, quos dudum FRANTZKIUS meruerat, honorum primitiæ. Cum deinde virtutes ipſius ſemper conſpectiores redderentur, facilè cultores plures inveniebant: & fiebat, ut proxima quæque dignitas inſtrumentum ſequentis eſſet. Haud multò poſt, cum Perilluſtres Fratres, GUNTHERUS & ANTONIUS HENRICUS, Schvvartzburgici Comites, tum ancipitis & gravis cauſæ duriſſimis velut nodis adſtricti, deprehendiſſent, eam induſtriam & fidem, eam ſolertiam & peritiam, qua vix major ab homine poſſet expectari, negotiis ſuis impendere FRANTZKIUM: deligebant eundem ſibi, quem ab intimis haberent conſiliis. Mox etiam Illuſtriſſ. Vinarienſis Domus, cognitis FRANTZKII dotibus indies magis inclareſcentibus, in ipſius amorem vehementius exardeſcens, tàm inſignis Capitis non mediocri deſiderio tenebatur. Per illa tempora Celſiſſimi Saxoniæ Duces, WILHELMUS, ALBERTUS, ERNESTUS, & BERNHARDUS, Fratres Germani, provinciis etiam èxteris, non ſuis, non Teutonicis tantum, immenſa rerum geſtarum gloria

gloria venerabiles, imperium hæreditarium æquo & pari jure moderabantur. Quibus ut ſe FRANTZKIUS in partem curarum adjungeret, unum omnibus votum erat. Cum acciperet oblata, ſummos Heroes in ſpem fortem adducebat, ut, quem illo tempore non poterant, alio ſuis conſiliis devincirent omnem. Sic enim novum obibat munus, ut cætera quoque ſuſtineret, manifeſto indicio, FRANTZKIUM non paucis eſſe natum, in tam multis excellentiſſimum.

XIII. Quæ jam dicendi materia ſe dat, tam copioſa, tam nobilis eſt, ut cum non poſſim omnia, quid commemorare potiſſimum debeam, incertus ſim, & verear maximè, tantis ut rebus, omnes propemodum verborum curas excedentibus, oratio reſpondeat. Enimverò, difficillimum dictu, quam prudenter, quam feliciter officii ſui partes nunquam non egerit: quantopere Comitibus Generoſiſſimis, Principibus illuſtriſſimis, & univerſis, & ſingulis, præſertim Incomparabili ERNESTO, primarias in Pietatem curas vertenti, ſe probaverit FRANTZKIUS. Huic, partitis inter Celſiſſimos Fratres paternis provinciis, ille, cum Diœceſin Gothanam, adminiſtratione publicarum rerum laudatiſſima nobilitaturus, occupaſſet, ſupremam ibi ſpartam, quæ Cancellarii vocatur, committebat. Nimirum, ſuperiori ſæculo collapſa penitus, quæ noſtro ſummum in decus reſurrexit, Aula Gothana, cœpit eo ſingulari & auſpicatiſſimo fato, ut Optimo Principi Conſiliarius adeſſet Optimus, adeoque nihil obſtaret, quo minus ipſa fieret optima. Florentis Reip. gloria præcipua Principi, proxima Conſiliariis debetur. Imperium, quod vel Principi degeneri, vel Conſiliariis perverſis ſubeſt, quemadmodum bene conſtitutum non eſt, ſic laudis partem minorem habet: nullam, certè minimam meretur, quod utroſque malos alit. Hoc verò cum peſſimum ſit, melius dixerim, in quo ſuus Capiti ſalvus honor, quicquid de membris ſit, quibus ad dirigendum corpus, utitur Caput. Etenim, ut unus malus à bonis pluribus corrigi poſſe videatur: tamen experientia, communis ingeniorum magiſtra, docet, plerumque tales Principis amicos, vel eſſe, vel evadere, qualis eſt ipſe Princeps. Ita Reip. ſalus ad Principem, velut ad fontem, referenda venit. Abſit, ut propterea ſuo defraudentur encomio, qui ſe, tanquam rivos, habent: inter quos agmen ducunt Conſiliarii. Nam, ut à Principe Con-

ſilia

ſiliarii ſunt primi, curarumque molem, quam unus gerere non valet, viribus junctis ſuſcipiunt; operisque ſociis, quam ſinguli nequeunt, univerſi ſuſtinent: ſic de publicis præconiis, quæ Principi regimen parit ſaluberrimum, ipſi, præ cæteris Miniſtris, jure meritoque participant. Anima nobiliſſimum homini præſtat officium: ſerviunt animæ, cum oculis aures, cum manibus pedes. Non his adimit honorem ſuum prærogativa, quæ confertur illi. Rariſſimam proinde, quam Orbis admiratur, felicitatem Aulæ Gothanæ, ſanctos in mores compoſitæ, ſi à Chriſtianiſſimo Principum ERNESTO diſceſſeris, paris ingenii, paris voluntatis, Collegio Miniſtrorum ſelectiſſimo referes acceptam. In his FRANTZKIUS, quemadmodum dignitate maximus, ſic meritis in commune ſummis, longè ſupra cæteros; conſpicuus fuit. Certè, quantum in eo Conſulem, quantum Atlantem providentiſſimus Princeps habuerit, fama publica loquitur, à turpis adulationis ſuſpicione Frantzkianos præcones ſuo teſtimonio vindicans.

XIV. In civilibus eccleſiaſticisque negotiis, in omnibus provinciæ ſuæ partibus, quos labores, quas moleſtias, invicto patientis animi robore, non tulit? Quæ non fideliter, non feliciter executus eſt? Quam prudenter, quam utiliter libertatis in admonendo jus uſurpaverit, inprimis legum ſalutares, & veterum emendationes, & novarum ſanctiones, quarum ſuaſor & hortator exſtitit, totius Aulæ conſcientia teſtantur. Speciatim proponerem, ſingillatim recenſerem, in quibus ſe virum magnum præſtitit, niſi, partim eſſent tanta, quæ dignum in modum non poſſim: partim viderentur talia, quæ clariorem in modum non debeam ex hoc loco peregrinas in terras divulgare. Quid tamen prohibet, quo minus aliqua momenta, prout licet, ſummatim commemorem? Jura cum faceret, communis utilitatis: cum redderet, ſingularis æquitatis curam gerebat: in publicis rebus nemini moleſtus odio privato: in privatis negotiis aſſumto perſonæ publicæ habitu nemini gravis: ita potens affectuum, ut ſuo quemque loco ſolveret aut coërceret: judex, hominum cauſas, actiones, merita: non honores, non fortunas, non amicitias intuens: eâ moderatione tamen, quæ prudentem ornat, mitem obligat judicem. Nam in foro quidem humano, quiſquis vel actor, vel judex, in leges, quam circumſtantias intentior, nimis juſtus eſſe ſtudet, parum juſtus eſſe ſolet. In conſulta-

tatio-

Digitized by Google

tationibus, præſentis & conſiderati animi: perpenſæ diu, ſemel pronunciatæ ſententiæ tenax: non alienæ voluntatis mancipium erat. Tantum pondus apud ipſum honeſtas, quantum apud alios neceſſitas habebat: plus ei veritatis, quam autoritatis ratio valebat. In deliberandis tardior atque circumſpectior: an in exequendis celerior atque felicior fuerit, neſcio. Certum id habeo, quibus moram interponere noxium, ſic expedita dediſſe FRANTZKIUM, ut profecta conſtaret, à maturante, non à feſtinante. Neque maximorum, ſeu in vulgus celebratorum, ſeu paucis in ſecreto cognitorum, honorum conſcientiâ quicquam elatus, ſingulorum patebat deſideriis: nec impatiens audiebat, quos admiſerat facilis: nullius temerè faſtidiendum querelas judicans, quamlibet in juſtas ne maligni, quod criminarentur, haberent. Nec id autoritatem minuebat, tuebatur potius & augebat. Ita commodis hujus univerſitatis expoſitus in cœlo Sol nihil dignitatis amittit adſpectu quotidiano & vulgari: nobiliſſimus ideo, quoniam, & animalibus omnibus & in ſingulos dies, lucet. Jam verò, quid comis & amicus ille vultus, quo cum accedentes excipere, tum etiam recedentes dimittere conſueverat, non deſignabat? Non poterant ex eo non capere ſolatium afflicti, dubii ſpem, fiduciam timidi. Multos in ſtuporem dabat: alios incredibili perfuſos lætitiâ morabatur: apud omnes memorem ſui notam cum amoris ſtimulo relinquebat. Sed hic oris externus habitus, qui callidos etiam poteſt, ſimplices utique ſolet fallere: ſi non planè fictus, tamen minus in receſſu continens, quam in aditu promittit? Ille verò diuturnus eſſe non amat, cum alienus eſt, iisque veram ſpeciem facilè prodit, quibus eſt familiarior. Tot teſtibus, quot amicos interioris admiſſionis habuit, FRANTZKIO ſincerus & ingenuus animus erat, ex quo priſci & melioris ævi puriores cordatioresque mores agnoſcere licebat. Quarum reliquias oppido tenues, parum abeſt, quin degeneris ſæculi tollat fucus & color. Quod igitur ad efficaces blanditias, meraſque fallacias, alii referunt: hoc ille candorem Germani pectoris oſtendebat, integerrimus vitæ, fraudis puriſſimus. Facie mentiri benevolentiam, inani exſpectatione ſuſpenſos circumducere: contra fidem, ſeu domi, ſeu publicè datam, oblivionis excuſabilis prætextu, erroris inobſervabilis opinione, ſimulatione neceſſi-

tatis

tatis inavitabilis, quò tectius, eò turpius quenquam decipere, moribus FRANTZKII prorſus contrarium fuit. Qui benigno fato ſaluti publicæ natus, id potius, quod in rem cujusque noverat, acriter, conſtanter, fideliter, omnibus nervis quæſivit: non ad promittenda promtior, quam intentior ad implenda. Inimicos rodere, traducere, mordere, tam deteſtabatur, ut hujus criminis reos infames reputaret: nocere, cum poſſis, nolle, clariſſimum virtutis exemplum eſſe ratus.

XV. Hoc pacto meritus de plurimis optimè, tàm viriliter actarum partium mercedem omnium maximam & pulcerrimam judicabat, quæ virtuti propria, conſcientiam rectè factis beatam. Cujus inæſtimabilem puritatem, illibatamque voluptatem, ne labes aliqua turbaret, præſtabat immota pietas, inprimis caſtiſſima dextera, nullorum munerum, in juſtitiæ diſpendium, vel avida, vel patiens: nullis machinis, quæ ſolent in ſpeciem difficiles vincere, ſuperabilis: Quamobrem ſæpius in adhibiti laboris præmium oblata reddebat, ut, neque materiem calumniis daret, quaſi venalis eſſet officio debita fides, & ſuum meritis decus conſtaret integrum: quorum nimis eſt conſpicua vita, nimis apparentes maculas eſſe, judicans. Cujusvis ſapientis & boni, conſulere nomini ſuo: dignitatem verò publicæ provinciæ tueri, adeo non illicitum, ut negligere nec decorum ſit, nec honeſtum. Illam ubique FRANTZKIUS hoc ſaluberrimo temperamento ſervabat, ut eſſet, nullo gravitatis damno humanus: nullo humanitatis periculo, gravis, ſimul charus, ſimul venerabilis omnibus: nemini facilè, niſi peſſimè factorum conſcio, timendus. Quò pertinet, quod nunquam honorum pompa, ſeu magna, ſeu crebra, juveniliter lætatus: inſolentius ſe coli nunquam permiſerit, adeo nunquam juſſerit. Nam venerationem nimiam affectando, vel omnem amittimus, vel efficimus ſimulatam. Cæterùm, ut erat mitis, tractabilis, ſanctus, quoties juſtam iræ cauſam nemo dabat: ita, quoties majoribus vitiis, quoties perperàm commiſſis ex meritò ſuccenſebat, ne contra virile rationis regimen, impotentior in diſplicentia ferretur, à ſe non difficulter impetrabat. Neque ſuſtinebat, iracundiam in animo radices agere, quem placabilem magis, quam irritabilem natura finxerat: & in turpiſſimis ponebat, morta-

Digitized by Google

mortalem iras immortales gerere, Chriſtianum inhumanis odiis in beſtiam transmutari.

XVI. His moribus Deo gratus, hominibus etiam utilis FRANTZKIUS, qui bonis omnibus, inprimis ERNESTO Principi, ſupra noſtri ſæculi genium, virtutibus Illuſtriſſimo, ſe probabat: cujus quantam inierit gratiam, dici non poteſt. Illo ſicut rectius æſtimare FRANTZKII merita nemo poterat, ſic, & amoris, & honoris majoribus indiciis nemo illuſtravit. In teſtimonium allegare poſſem non pauca, niſi res tam in aprico jam eſſet, ut neminem fugiat, qui vel ad mediocrem Aulæ Gothanæ, per tot oras, per tot ora, celebratiſſimæ cognitionem pervenit. Fatendum eſt: & tantum Principem tali Cancellario, & tantum Cancellarium tali Principe digniſſimum fuiſſe. Divinitus igitur factum arbitror, ut FRANTZKIUS ab eò non prius, quam è vita, decederet: quanquam nihil minus, quam occaſio vel ad parem locum tranſeundi, vel ad celſius faſtigiũ aſcendendi, celeberrimo viro deeſſet. Id enim meritorum ſuorum magnitudine conſecutus erat, ut maximi Principes ampliſſimas ei provincias in Aulis modo non certatim offerrent, ipſemet Invictiſſimus Imperator in Auguſto Palatio ſplendidiſſimos honores ultro decerneret. Interea ne ſic quidem in unius Saxoniæ commoda vitam impendit. Quis enim paulò verſatior in Romani Imperii rebus ignorat, permultos & excelſos Proceres, ingenio FRANTZKII, tanquam Oraculi ſorte, cum uſos, tum etiam delectatos? De jure quoties reſpondit! Quoties conſilia de rebus arduis, periculoſis, deſperatis, ratione prudentia, eventu proſpera, tulit! Quot Illuſtrium Familiarum graves maximique momenti controverſias, quæ fuerant inextricabiles aliis, omnium, & exſpectatione celerius, & opinione felicius, expediit! Quot diffidentium animos Principum in amicum conſenſum hoc pacto flexit! eò nominis incremento, ut CONCILIARE PRINCIPES, OPUS FRANTZKII, vulgato Celſiſſimis in Aulis proverbio, cenſeretur. Ob quas operas ſe FRANTZKIO debere plurimum, Heroës ſummi, & honorificentiſſimis olim præmiis vivo declaraverunt, & illuſtriſſimis elogiis in jacentem diſerti hodieque conteſtantur. Ex iis proferrem in medium non nulla, niſi tantis Nominibus, quibus valorem ſuum referunt acceptum, parcere, ſubmiſſa reverentia mihi ſuaderet.

XVII. Magnus in componendis Principum cauſis: neque

neque minor in gerendis Legationibus fuit: in quibus eum ſe præſtitit, ut temporibus noſtris abſolutum exemplar Legati dederit. Ita virtutes pariter atque dotes omnes complexus eſt, quæ talem ſuſtinenti perſonam, vel conveniunt ex neceſſitate, vel in ornamentum adſunt. Nam, ut nihil de prudentia, fide, plurimarum rerum peritia: nihil de aliis feliciter agendæ Legationis præſidiis inſtrumentisque dicam: & ingenio divino, & venerabili corporis habitu erat. Per quæ fiebat, ut ſemper animis exterorum, ad quos venerat, gratam ſui memoriam relinqueret impreſſam, nec unquam, niſi præclarè functus officio, rediret domum. Singula referre ſimul, &, ſicut fas erat, illuſtrare, quibus hoc in genere ſubjecit humeros, & gerendis par fuit, orationis excedit modum, & in juſti voluminis molem abit, opusque multò nobilius eſt, quàm ut levi brachio, & in hoc transcurſu tentari debeat. Digna potius materia, quæ commentario cum cura ſcribendo reſervetur.

XVIII. Unum, exempli gratià, commemorare magnitudo jubet. In Romani Comitiis Imperii, cum annus à recuperato gentis humanæ ſtatu meliori, M. DC. XL. ageretur, Reginoburgi celebratis, cum FRANTZKIUS Illuſtriſſimorum Saxoniæ Ducum Legatus, eos fidem Sacratiſſimo CÆSARI ſervaturos inviolabilem, regione juramenti teſtaretur, &, ſicut erat id temporis turbatiſſima Germaniæ facies, multas, easque ſupra, quam dici poteſt, obſcuris nexibus implicatas lites ingenioſiſſimè dirimeret, quanta polleret virtute, quanta promicaret ſcientia, Germaniæ, quin Europæ, tam evidenter demonſtrabat, ut FRANTZKII nomen, quod antea vile nuſpiam fuerat, poſteà ubique magnum eſſet: Principibus charum, eruditis etiam venerandum. Jam ſi laus magna, vel his, vel illis placuiſſe: maxima ſine dubio fuerit, utrorumq; favorem ſibi conciliaſſe. Quantam verò, non laudem, ſed gloriam exiſtimes, non utrisq; ſolum, ſed in iis quoq; ſummi Regum, quos terrarum Orbis colit, gratiam promeruiſſe? Quo laudis ſupplemento laudem aliorum tranſcendit FRANTZKIUS. Felix, & ipſi memorabile poſteritati, Palatium, intra quod Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDUS III. ſacra & venerabili Dextera Legatum FRANTZKIUM excepit, Potentiſſimus Doctiſſimum: & rarò ſpectaculo, fulgentiſſima duo Lumina convenerunt, ILLE Principibus omnibus invicti Animi magnitudine prior, HIC Eruditorum nemini ſubli-

Digitized by Google

ſublimis Ingenii excellentiâ ſecundus. Vidiſſes, quotiescunque coram Heroë ſummo peroravit noſter, utrumque notabili alterius admiratione defixum. Qui naturas ſcrutantur avium, Aquilam pullos, neglectis cæteris, eos educare tradunt, quorum oculis aciem Solis ſuſtineri poſſe compertum habeat. Si cum parvis magna conferre licet: dicam, ſimile quid contigiſſe, cum Invictimus CÆSAR, ut erat felicis & penetrabilis judicii, paucis è FRANTZKII dotibus virtutes omnes cognoſceret, dignumque gratiâ CÆSARIS æſtimaret, qui CÆSARE digniſſimum Oratorem egerat.

XIX. Idem AUGUSTUS FRANTZKIUM, quem hoc tempore viderat, quem audiverat, non ita multis annis interjectis, legendum accipiebat. Illi noſter, memoriâ devota Clementiæ, quam ſæpius, & cum aliis Legatis commune, & ſibi peculiare, indiciis extraordinariis, expertus erat, incitatus, mentis, in humilitatem ſubmiſſæ documentum, ad agendam, quoad liceret, gratiam erectæ ſignum, Commentarios exhibebat, quibus Imperatorii Juris Pandectas illuſtraverat, non alia perfectionis laude, niſi quod altera ſui parte careant, deſtitutos. Permotus iis benigniſſimus CÆSAR, omnium fons honorum civilium, ut, neque FRANTZKII merita, vel minus ſuſpecta, vel in neglectis habere putaretur, & ſuum literis decus ſtabiliret: quanti FRANTZKIUM, & Ipſe faceret, & aliis in Romano Imperio faciendum cenſeret, publicis codicillis teſtabatur: quibus, non tantum SACRI PALATII IMPERIALISQVE CONSISTORII COMITEM renunciavit, ſed etiam EQVESTRI ORDINI adſcripſit, additis honorum, quos ſub iisdem titulis alii capiunt, variis prærogativis ipſisque muneribus, in laborum compenſationem, reddi ſolitis, Cancellariæ prohibitis: ut modis omnibus liberale Donum, ex liberaliſſima CÆSARIS Manu, ad FRANTZKIUM, planè liberalis Animi virum, perveniret. Nimirum has dignitates æquiſſimus CÆSAR, etſi per ſe magnas, ideoque majores, quod nullis precibus, monitis nullis præviis, ad FRANTZKIUM ex tanto faſtigio ſponte ſua deſcenderent, adeo merenti conferebat, ut magis ſolvere, quam dare videretur: certè, Nobilem non faceret, ſed oſtenderet eſſe. Nam ſua quemque ſi nobilitat Virtus: jam pridem FRANTZKIUS Nobilitatis ſuæ radios in plures Orbis partes diffuderat.

Id

Id reſtabat, ut ipſius eminentiſſimi CÆSARIS judicio, non Gentium modò ſuffragiis, eſſet Nobilis, & quorum meritis ſua dudum æquaverat, eorum quoque jura teneret, ornamenta ſuis adderet. Neque enim minus eſt, vulgus imperitum in officio prudenter continere, quam hoſtem ferocem in poteſtatem redigere fortiter: & plus eſt, conſiliis, quam armis defendere libertatem ſalutemque communem. Cujus cauſa ſi moriendum: nihil aut parum ad fortitudinem intereſt, adverſarii manu ſtrenua celeriter cadas, an mole curarum perpetua confectus, lentà velut tabe ſolvaris.

XX. Accedit, quod aliis inſerviendo FRANTZKIUS ita ſeipſum conſumſerit, ut publico, deſineret tandem vivere, prodeſſe nunquam deſineret. Nam, præter famam, reliquit, unde fructum ætas omnis, noſtra ſolatium quoque poteſt capere. Quis enim neſcit exſtare, commodis & deſideriis omnium expoſita, quæ multis abhinc annis publicavit, nobiliſſima ſcripta: quibus & ſuum erudiit ſæculum, & univerſam poſteritatem ſibi devinxit. Ex illis hæc, cum vixiſſe FRANTZKIUM intelliget, ſibi quoque FRANTZKIUM vixiſſe gaudebit. Nonnulli ſemel ad aliquod culmen evecti, nihil ultra penſum, quod muniis ſuis debent, licet facillimè poſſint, ſuſcipere cogitant: ſed acquiſitis honoribus frui, quam comparandis defatigari malunt. FRANTZKIUS, quas conſecutus eſt dignitatis acceſſiones, non tam præteritorum laborum præmia credidit, quam virtutum exercendarum ſtimulos habuit. Itaque bonos cives imitandos judicavit: qui, cum ſentiunt opibus ſe valentes, ditiſſimisque pares, illarum partem in delectabiles hortos, in ſpectabiles ædes impendunt, ut agris & civitatibus ornamenta concilient, ſibi poſteriſque ſuis utilitates afferant. Non ſatis habebat, præeſſe ſtationi ſuæ, ſuis temporibus prodeſſe: niſi quoque monumenta conderet, quibus rei literariæ, tum in præſens proſpiceret, tum in futurum provideret. Ob quam induſtriam ſingularem, quantum Orbis eruditus FRANTZKIO debeat, ipſi loquuntur tot ab eo publicam in lucem miſſi codices. Hos quisquis in vulgaribus & perituris chartis numerat, aut in eo literarum genere nimium peregrinus & hoſpes, aut enormiter invidus & malus eſt. Videlicet immane quantum ab ejusmodi voluminibus diſtant, quæ, magnum præter onus, nihil exhibent ſolidi, ſed vel judicatis è rebus im-

menſum chaos, vel alienis è libris meros centones, ſeu pingui, ſeu non penitus invita minerva conſartos, repræſentant. Multos enim, quod ingenuè fatendum venit, intempeſtivo ſcribendi pruritu laborantes invenias, qui, cum literariæ communioni, per ingenium paupertinum, nihil de ſuo largiri poſſint, propinquorum invadunt opes, & hinc inde compilatas pro ſuis publico commendant: eruditionis, qua ſemet inſtructos, aut credunt, aut credi volunt, documentum edituri. Satis ergo, quibuscunque modis, hoc impetraſſe tandem, ne poſteritati prorſus ignoremur? Melius, in verè doctis probroſum, quam in eruditorum vulgo nullum habere nomen? Quæ FRANTZKIUS condidit, FRANTZKIUM, hoc eſt, optimæ notæ ſcriptorem doctrinæ conſummatæ, ſingularis ingenii copia florentiſſimum, demonſtrant. Is nihil moratus alios, ſcripſit etiam, non modo geſſit magno viro digna. Diſſentit ab aliis ſæpius: vel peculiares, deſtructis communioribus, confirmat: vel à ſe primo inventas producit in medium ſententias: veritatis immotæ fundamentis, non autoritatis lubricæ calculis inhærens: ab æquis æſtimatoribus gratiam, non odium proptera meritus. Omnia quæ vulgo ſtatuuntur, vilitatis damnare, diſſoluti & immodeſti pectoris opus: animi ſervilis & timidi res, aliorum judicio nimium, ſuo nihil tribuere. Majus Frantzkianis codicibus ipſa verecundia pretium, facit, quam in iis ubique gravis autor adhibuit. Omnes, cum quibus acutè diſputat, humaniter tractat: nec, à quibus veritatis cauſa diſcedit, in eos inclementer dicit, aut debacchatur. Quam deſipientis, & tumentis notam ſcriptis ſuis adeo non inuſſit, ut, ubi confutat errores autorum honoribus paſſim conſulat, perſonis ubique parcat: egregio ſpecimine, non tanta vehementia veritatem adverſus ignorantes ſtabiliendam eſſe, quanta civitatem adverſus oppugnantes protegere fas eſt. Res quoque libris ſuis lectiſſimas in argumentum dedit, ab aliis, vel prætermiſſas, vel cura longè minori propoſitas: eoque non minus gloriam, cum pauciſſimis hodiè communem, ſibi promeruit. Dum verò in iis, quæ tradit, neque juſto diffuſior, neque nimio conciſior eſt, geminam reportat laudem, quod lectoribus ſuis. & ſatisfaciat, neque tædio ſit. Nihilo ſecius legum jurisque nodos, aliis inexplicabiles, adeo feliciter, evidenter adeo ſolvit, controverſiasque difficillimas tamexqui-

quiſitè, tam nervosè, componit & exſtinguit, ut neque locum veteri dubitationi, neque materiam novæ liti relinquat. Eò judicii nos frequentior ſcriptorum Frantzkianorum inſpectio perduxit, ne, quod iis adſcribendum erat elogium, penitus aliena fide niteretur, communique fama ſola (quæ ſuis auditoribus res ut plurimum confusè commendat, interdum etiam imponit) unicè ſtaret. Præconia diſtinctiora, ſed etiam plura, JCti ſummi producere poterunt, qui FRANTZKIANA volumina generatim tam prædicant, ut nihil non in iis ſingulari laude dignum aſſerere videantur. Eant nunc invidi, &, cum aliud, quod poſſint carpere, non inveniant, ſubtilitatis accuſent FRANTZKIUM, quem non magis ſibi glorioſa, quam publico utilia, ſcripſiſſe, tam idoneis teſtibus conſtat. Sed quid arripuerunt, quod in FRANTZKII dedecus cedat? Numquid omne, quod ingenium ſapit, è ſtudiorum cancellis continenter projiciendum? Interdum à literatis proficiſci, quæ doctos acuant, & doctiſſimos doctiores efficiant, cæteroquin utilitatem in vita communi propè nullam præſtent: non nego. Talis conditionis univerſa pro nugis habenda, liberalibus animis omnibus interdicenda, cunctis eſſe prohibenda ſcholis, id vero pernego. Et cur ſubtilitas in orbe literario, vel in novitiis inventis, vel in monitis planè ſingularibus ſedem nacta, penitus exſulet? Sua legibus civilibus, ut iis, à quibus proficiſcuntur, ineſt majeſtas: ſuus judiciis, ut legum officinis, adſtat honor: ſuum florentibus Academiis, quæ judiciis leges, judicia legibus accommodare docent, conſtat decus: etiamſi non nihil obſervetur, quod in illis mutari poſſit: in his mutandum ſit: in iſtis malè fuerit mutatum. Inprimis, cum nihil in omnibus mortalium rebus inveniatur, quod ſatis elaboratum haberi, quod emendationem pati nullam debeat: in Juriſperitia ſicut vulgo traditur, addiſcitur, exercetur, nihil ſupereſſe, quod magis expoliri, magis in ordinem redigi nequeat, ſibi perſuaſum habere, parum circumſpecti notam reor. Scio, multos indignari, cum à via trita vel unguem latum diſceditur: at eos tanti non eſſe, quorum in ſententia, velut in extrema judicis inexorabilis, acquieſcendum veniat, id quoque ſcio. Sanè, qui ſupra corpus legum civiliũ, humana voluntate ſola, quatenus civiles, non ſimul naturales, non ſimul divinæ ſunt, ſtantium atq; cadentium, paulo ſublimius caput extulerunt, nec iis omne ſubmerſum

tenent, vel ſoli cauſarum magiſtri, vel ſoli juribus à ſe non immutandis adſtricti judices: ad ea, quæ circa leges civiles generatim monenda ſint, non inhabiles videntur. Et, qui leges in imperiis ſemel receptas, nec unquam abrogandas ſic imbiberunt, ut earum ſimul prima fundamenta, ſenſum genuinum, uſum commodiſſimum hauſerint: ſi, non dicam, meliora: ſaltem ſi recentiora vulgatis circa juſtam ullius, aut temeritatis, aut arrogantiæ ſuſpicionem, ſæculo ſuo ſuadeant, non imperent: quis æquus cenſor ideo non ſuſpiciat potius eos, quam deſpiciat? Sed FRANTZKII cauſa non indiget patrono, quæ pro ſeipſa loquitur. Ad veram ille ſolidamque Jurisprudentiam ut omnia refert: ſic eſt, ut planum & tutum iter expetentibus monſtrat: in transverſum, ſeu mala ducum fide, ſeu parvo comitum exemplo digreſſos in viam optimam, per compendium revocat. Quibus conſiliis monitisque tantò plus tribuendum, quantò gravioris judicii, majoris experientiæ, non ſcientia modò, ſed prudentia quoque juris, plurimarumque diſciplinarum notitia præſtantiorem virum autorem habent.

XXI. Philoſophiam, tum iis, meditationibus addictam, ex quibus inprimis Naturæ ſolertes ſpeculatores venatoresque naſci ſolent, tum actiones humanas perpetuis cancellis limitibusque circumſcribentem & hanc quidem per ipſum decennium pari ſtudio cum juris civilis arte tam coluerat, ut qui publicè profiteretur eandem in Academia, cenſeretur digniſſimus. Omnis autem antiquitatis humanitatisque ſcientiſſimum fuiſſe quis ignorat? Quo nomine cum præclariſſimis ſæculi noſtri JCtis, quos inter amiciſſimos habuit, JACOBO GOTHOFREDO & NICOLAO HENELIO, illo Galliæ hoc Sileſiæ ſuæ ornamento, contendendus eſt. Factum igitur, ut in ſingulis quidem libris, quos edidit, præcipuè tamen, in quibus Romanas leges interpretatur, omne punctum ferat. Quas juſtas eſſe, magis credunt, quam ſciunt, Philoſophiæ moralis peritiâ, vel omninò deſtituti, vel infra mediocritatem inſtructi: ſenſu verò non capiunt, niſi vetuſtatis non planè rudes. Quantus in hiſtoriis fuerit, partim aliunde conſtat, partim eorum autoritate comprobari poteſt, quos ipſe, cum de priſcis, cum de noviſſimis gentium rebus verba fecit, incredibili promtitudine, ſingulari venere, mirum in modum attentos tenuit. Eâ verò ſæpiſſimè Principum quoque ducebat & morabatur animos, & in amorem admira-

mirationemque ſui concitabat. Quin, ſi pacis & belli peculiares artes, & quicquid ad benè tractanda Reip. gubernacula pertinet, Hiſtoriæ potiſſimum debemus: quam communis eruditiorum conſenſus prudentiæ civilis, præſertim nobilioris illius, in vulgus parum cognitæ, ſalutarius ab exemplis, quam ex præceptis peti ſolitæ, parentem declarat: non potuit in ejus notitia non eminere, qui maximas ſui temporis res, ob crebram fortunæ varietatem ad poſteritatis memoriam inſignes conſiliis ſuis temperavit. Hæc, utrum ob rationes prudentiora fuerint, an ex eventu feliciora, non ego dixerim. Illud extra dubitationis aleam omnem poſitum, non alium annales Rerump. ſeu olim nomen ingens conſecutarum, ſeu hodie florentium, perluſtraſſe diligentius, &, cum totius Imperii Romani, tum ſingularum in eò provinciarum jura ſubtilius perſpecta tenuiſſe. Tanti laboris, quem in omni ferè ſcientiarum genere, promtus & ultrò ſuſcepit, præter publica, domeſtica ſuperſunt documenta. Quippe codices eum, quibus uſus eſt, ad calcem à capite, non celeritate quadam deſultoria, ſed cum exquiſita cura, cum præſenti judicio, perlegiſſe, multiplicibus è notis, quas ſingulis fermè paginis adſcripſit, colligas.

XXII. De literis autem elegantioribus, quæ virum ſummum, ſi non faciunt, inſigniter tamen ornant, quid dicam? Eas, ut avidiſſimus arripuerat puer, ſic tenaciſſimus amabat ſenex. Ex iisdem æſtimare ſolebat ingenia: perſuaſus, eos, qui manſuetiores faſtidiunt artes, ſcientias ſeveriores rarò propius aggredi, nunquam penitus comprehendere. Præ cæteris, eloquentia Romana capiebatur, illa cultioris ævi: qua tum ipſe pollebat inprimis, tum, quod videret, pauciſſimos in eâ præſtare quicquam ſupra vulgus: ut ampliſſimæ pariter & utiliſſimæ facultati ſolicitius & intentius incumberent, multis autor erat graviſſimus. Maximè probabat dicendi genus, quod puræ dictionis nativa elegantia plurimum nitet: quod nihil ineptum & declamatorium habet: quod inſtar verecundæ matronæ gaudet ingredi, cultum nec aſpernantis omnem, nec affectantis nimium, ſed, quantum ſatis ad honeſtatem, decenter ornatæ. Nam oratio, quæ notabiliter verborum luxuriæ ſtudet, ad indolem ſcorti prorſus accedit, allicientis muliebri mundo, quos ob vulgatum corpus deſperat, amatores.

XXIII. Nihil eorum, de quibus commemoravi, gloriæ,

 nihil

Digitized by Google

nihil magnitudini decedet, ſi de Poëſi quoque dixero: quam in eruditionis referre partibus, nimis humile, FRANTZKII perſona penitus indignum judicantes, vehementer errant. Ea nobiliſſimi ſtudii ratio, ut, præter ingenium liberale, promtum & fœcundum: antiquitatis, hiſtoriarum, & modo non omnium diſciplinarum peritiam ſibi vindicet: nec aliud propè ſit, revera Poëtam eſſe, quam plurimarum maximarumque rerum intelligentiſſimum. Talis certè Poëſis veterum eſt. Hæc, ut meretur nomen, quo gaudet; ita dignitatis, quam tenet, gradum, facilè tuetur. Jam, ſi non carent honore ſuo, qui ſingulis in ſcientiis eminent: cur ille vilis haberi debeat, qui vel omnibus, vel præcipuis ad elegantiam inſtructus eſt, cauſam reperire non poſſum. Imo ſi Poëticæ facultati pecurialis, & tanta ſoli excellentia ineſt, ut Poëtam, propitio Naturæ ductu *Naſci, non* unò induſtriæ beneficio *Fieri*, proverbium tritiſſimum indicet, cur in contemtum interpretamur, *Poetam eſſe?* Quid, quod producere poſſum Imperatores cordatiſſimos, ſapientiſſimos Principes (ut privatos, eosque ſummos viros ſilentio transmittam) qui Poëtas, & ſingulari charitate dilexerunt, & majorem in modum honoraverunt: carminibus autem ingenium ſæpius, quam venationibus corpus, exercere nullo pudore, nulla pœnitentia ſuſtinuerunt. Sed jam id non ago, ut arti Poëticæ ſuum aſſeram decus. & Poëtarum merita, quibus cenſeri debebant, ab injuriis ſæculi penitus vindicem. Illarum pœnas hoc luit, dum pro rerum, quas in eo geſtas & geri novimus, magnitudine rara, copiâ memorabili, paucos habet Poëtas, qui nobilitare virtutes carminibus, aut poſſit, aut velint. Quo minus hanc literarum humaniorum partem FRANTZKIUS ignorabat, eò magis & in deliciis habebat, & honore proſequebatur. Quare dicata remiſſioni tempora ſæpius lectioni Poëtarum dabat, curas ſerias & graves eò temperaturus labore, qui neque fructu careret, & voluptate circumflueret. Interdum & ipſe condebat Epigramma, cujus nervoſam brevitatem prolixitati juſtorum Poëmatum anteferebat, vel ingenuum animo ludum & oblectamentum permiſſurus, vel amicorum ſatisfacturus honori & deſiderio. Quin hoc literarum otium ad ipſam quoque pietatem referebat: cujus egregium exercitium ſtatuebat, Poëtarum de ſacris & cœleſtibus rebus, magno conatu, & verè divino inſtinctu, elaborata monumenta perluſtrare, puriſſimis & elegantiſſimis

odis

Digitized by Google

odis Numini commendare vota, pro deſideriis impletis reddere gratias & laudes: id expertus, metri ſuavitatem, non alere modò, ſed etiam acuere devotionem animi, qua Deum religioſiſſimè colimus. Et in hoc compoſitus eſt publicatusque, non contemnendus ſelectiorum Epigrammatum ſacrorum Liber, quem noſtri CHRISTIANI PHILOMETRI piiſſimæ providentiæ debemus. Miraberis raram & inſolitam diligentiam, ſi cætera Viri negotia cogites. Sed optimorum ingeniorum ſæpius natura ſic fert, ut otioſa nunquam minus ſint, quàm cum eſſe poſſunt: & immenſus ſtudiorum amor adeò patientem laboris reddiderat, ut fermè nullus dies intercederet, quo non iis frugiferum & ſalutare quippiam operaretur, quorum mira dulcedine, ſicut, poſt DEI officiique ſui cultum, nihil antiquius habuit, ita non prius illorum amorem, quam omnia vitæ mortalis ſolatia, depoſuit.

XXIV. Tot animi dotibus virtutibusque tot rerum experimentis ſcientiisque cum emineret maximè, quantum in eò Reſpublica, tum civilis, tum etiam literaria, non ornamentum modò, præſidium quoque nunquam non habuerit, cogitari facilius, quam dici poteſt. Accedebat enim abſolutiſſimæ doctrinæ tanta probitas, ut neſcire literas, quam ſuo unius bono didiciſſe mallet: tantum aberat, ut inſtrumentum aliis ſerviendi nobiliſſimum in cujuspiam perniciem aut detrimentum verteret. Quamobrem haud ſcio, num quispiam melius de pietatis & ſapientiæ ſtudiis, vel meritus ſit, vel mereri poſſit. Certè FRANTZKIO multum ſinguli debent, quibus exquiſitam eruditionem feliciter conſequendi modum ingenuis monitis ſeorſim præſcripſit: plurimum debent univerſi, publicis in Athenæis & Gymnaſiis ad liberalia ſtudia deſtinati, quorum res laborantes, aut etiam perditas, prudentiſſimis conſiliis in melius immutavit, aut etiam prorſus in integrum reſtituit. Sic enim exiſtimabat: humanam ſocietatem univerſam, non unam Rempublicam obſtrictam ſibi reddere, qui virtutum & ſcientiarum officinis quam optimè conſulit.

XXV. Ita cum domi, tum peregri clariſſimus meritis, eam vivus reportavit celebritatem nominis, quæ raro defunctos manet: & quam iisdem, quibus ſemel obtinuit, ex facili retinebit aut ſemper, aut diu. Neque enim honor, quem ſibi tanta virtus excitavit, inter gratos evaneſcere poterit; & interitum dies alius afferre ſcriptis utiliſſimis

nequit, niſi, fato noviſſimo, qui caducis rebus omnibus afferet. Invenias multos in eruditis notos magis, quam nobiles: quorum res, licet infra mediocritatem poſitas, fama diſtenta celſiſſimis gloriæ titulis venerari ſolet: alios invenias in doctis nobiliſſimos, ſed ignotos: quos, etſi gravitate judicii, rerum peritia, meritorum copia, ſortem communem tranſcendentes, tamen vix communiſſimis laudibus fama nimis anguſta dignatur, nec contemtis ex tenebris ad ſpectabilem lucem eluctari permittit. Ut hos illis feliciores arbitrer: tamen non poſſum non feliciſſimos pronunciare, quibus digna ſæculo ſuo, nec agere, nec ſcribere contingit abſque juſto famæ judicio. Quæ cum à noſtris promanat, plerumque minor eſt meritis, & adulationis ſuſpecta: verior apparet, atque ſplendidior eſt, cum ab exteris ad nos redundat. Vileſcere quotidiana ſolent: &, ſicut viſus non ſatis capit, quæ nimium vicina ſunt: ita vix æſtimat ex verò magnos viros, qui ſemper obvios habet, locus. Et ab iis encomium, in quos, ſi nolint afferre, vindictam occcultam exercere valemus, quis non dubitet, poteſtatis, an autoritatis effectus ſit. Neceſſe non eſt, multis argumentis evincere, quantam FRANTZKIUS exiſtimationem apud omnes conſecutus ſit: vel inde colligi poteſt, quod etiam extra Germaniam in admiratione poſitus, immortale nomen invenerit. Sed nec in eò demonſtrando laborare, nobis animo ſedet. Itaque non allegabimus ſingularia peregrinantium ſuffragia, non ipſius famæ communis aſſertiones multiplices. Facillimum eſſet, Gallorum, Britannorum, Danorum, Belgarum eximia de FRANTZKIO judicia pro teſtimoniis adducere: ſed nihil attinet. Partim expoſita publico jam ſunt: niſi quod in ſcriniis plura perquirenti ſunt obvia. Quid de FRANTZKII juſtis æſtimatoribus in ipſa Germania dicam? In eâ nec Aulam, nec Academiam, nec alium, ubi ſapientia quidem in aliquo pretio, reperias temere locum, in quo FRANTZKIUM nemo prædicet. Indicium nobiliſſimum autoritas, qua per Imperii Romani provincias plurimas, in quolibet eruditionis genere viros ad publicos ex officiis honores provexit.

XXVI. Quicquid à cultoribus ſuis acceperat, ex quo noſci cuperent, id oculo curioſo, ſed etiam intento animo, ſæpe totum, perlegebat: contra, quam alii facere gaudent: qui talia ſpecimina contemtim habentes, aut prorſus ne-

gli-

gligunt, aut quaſi per tranſennam inſpiciunt, ideoque non niſi jejunum & frigidum de clientibus, quanquam doctiſſimis, judicium ferunt. Et ſicut ex minimis etiam, qui autores in literis præſtitiſſent, quid præſtare poſſent, ingenioſiſſimè conjiciebat: ita, cum quibus præſentibus ſemel habuerat negotium, illorum interiora, ſagaciſſimus animorum æſtimator, ex moribus, ex ſermonibus, quam ſcitè, tam vere notabat. Quos ergò meliori de nota commendabat, ſic habebat ipſe cognitos, ut pro teſte poſſet eſſe, nihil ſupra verum de iis narrari. Quo pacto fiebat, ut apud Patronos & amicos ſuos fidei multum, plurimum autoritatis retineret: & eorum fortunæ, quos evehere conabatur, omnium rectiſſimè conſuleret. Id verò plerumque literarum beneficio peragebat. Nam iis tuebatur amicitiæ jura, quam modò non ubique locorum, præſertim cum illuſtribus eruditione viris inierat. Ex his alios ei par muneris dignitas: alios ſtudiorum communio, mens in iis eadem: alios candor Germanus, antiqua virtus alios beneficiorum memoria fecerat optimè cupientes. Per eos, quoniam in præcipuorum notitiam perveniebat, quæ diverſiſſimis locis gerebantur: ſi commemorare nunc aggrederer, quot & quantas res ſuo literarum commercio peregerit, vereor, ne parvus hic labor in opus Iliade majus excreſcat. Quod librorum fuit, vel ſalutaris ſuaſor ſcriptoribus, vel editoribus monitor opportunus! Quoties aliis utilia molientes juvit: Minimè tutis addictos revocavit ad meliora! Quoties conſilia petentibus fideliſſima ſuppeditavit, & ibi fuit efficaciſſimus, ubi nihil minus, quàm FRANTZKIUM conſpexiſſes aut cogitaſſes. Cohibendus animus eſt, ne divulgando liberalius, quorum conſcientiam ſentit, ad ſecreta deſcendat.

XXVII. Cæterum FRANTZKIUS, ut eò rectius ſaluti publicæ conſuleret, non negligenter curabat ſuam: frugalis & ſobrius. Nam his virtutibus, ut aliis non paucis, ad amuſſim exprimebat indolem PRINCIPIS ſui Optimi Maximi: qui, raro, ſed utiliſſimo exemplo, legibus, quas intemperantiæ poſuit, non magis populum adſtringit, quam ſeipſum accommodat: vel ob id unum AUGUSTO FELICIOR, TRAJANO MELIOR habendus. FRANTZKIO natura donaverat firmum & temperie ſalubri corpus. Ejus integer vigor ſervatus, magnam partem certiſſimus temperantiæ fructus erat. Nam ſi exce-

cepe-

ceperis ægrimoniam, quæ vitam intercepit, nulla propemodum valetudine laboravit: benigniſſimi providentia Numinis, ut, qui potiſſimum aliorum bono, non ſuo, viveret, quoniam non ſemper eſſet ſuperſtes futurus, ſemper incolumis eſſet: & ætate jam ſenex, haberet virile robur, qui juvenilibus annis virili fuiſſet prudentia.

XXVIII. Beneficus in omnes, maximè literarum cultores, honeſtè partas opes honeſtiſſimè collocabat. Temerarii, abjicere penitus, & impotenter conculcare divitias: at in ſuum unius uſum ſervare totas, id verò avari judicabat. Steriles, non inſtabiles ſolum, fortunæ ſunt, natura ſua ſi cenſeantur. Tantum ſqualoris afferre poſſidenti poſſunt, quantum ſplendoris attulerunt. Itaque, cum nec laudis, nec opprobrii per ſe capaces ſint, tales haberi conſueverunt, qualis animus eſt utentis: optimæ, ſi bonus: peſſimæ, ſi malus. Siquidem verò multiplex earum uſura: præſtantiſſimam quis neget, unde quoddam in alios etiam redundat emolumentum, præſertim, quod grande momentum ad communem utilitatem addere valet? Quicquid enim non eò refertur, infra gloriam eſt. Cum igitur, aut nihil habentium levamus miſerias, aut ſubſidia conferimus iis, quorum conatibus eximiis, præter anguſtam rem, nihil obſtat: non alius nobilior fructus à theſauris noſtris exſpectandus eſt. Nulli melior auro color, niſi quod nitet in manu liberaliter donantis. Quæ cum ita ſint: FRANTZKIUS honores palmæ, quam per facultates conſequi potuit, per largitiones conſecutus eſt: in quo tam bene Virtus & Fortuna convenerant, ut benefaciendi pronum hæc animum daret, illa multam ſuppeditaret materiam: &, tanquam de laudis prærogativa certarent invicem, ita ſemper effecit, illa quidem, ut vellet, hæc autem, ut valeret porrigere pauperibus in ſublevamentum refertiſſimas ſportulas. Quo majoribus enim affluxit bonis, eò ſplendidiora ſpecimina liberalitatis, & eò frequentius, edidit. Inter innumeros, quos benigniſſima dextera ſibi devinctos reddidit, multos vitæ probatæ, famæ bonæ viros, munificentiæ ſuæ diſertos teſtes, diſertiſſimos præcones habet. Nam & domi quædam ingenia fovit, & in Academiis ſubinde Muſis egenis, vel præſentibus, cum tranſiret, obtulit: vel abſentibus, cum hæreret alibi, tranſmiſit dona, ſolatia ſortis deterioris, melioris inſtrumenta. Sic, cui Patris nomen torus denegaverat, meritorum eminentia

nentia contulit. Non enim ſola gignendi felicitas quæ cadit etiam in peſſimos, reddit Patres: reddit maxime Patres affectus paternus, qui ſuam vim potiſſimum benefaciendo demonſtrat. Prolem ſerere, partu maturam edere, parentum, ſed naturalis ordinis munus eſt: editam ſuſcipere, nutrimento conſervare, charitatem præ ſe fert, at inſitam homini, cum beſtiis communem. Id demum perfectæ laudis, optimis legibus educare: quod ipſum ſi reſpicias, nihil eſt, genuiſſe ſobolem. Alterum fortunæ, alterum virtutis opus. Quisquis igitur hoc, quod ſummæ pietatis conciliat iis decus, quibus ortum noſtrum debemus, præſtat: is pro parente nobis colendus & amandus venit. Non infimum inter officia boni Patris, ut pariter facilis præbeat ſuis affectibus, quo vitam honeſtè prorogent: pariter providus opes non nullas in ſpem hæreditatis reponat. Utrumque FRANTZKIUS æmulatus, non ſolum, quoad vixit, nullarum aut tenuium facultatū hominibus liberaliter ſuppetias tulit: ſed, ut etiam pergeret benefacere, cum deſiiſſet vivere, multorum indigentiæ jam deſtinavit, unde paternam bonitatem, amorem plusquam paternum æſtimare poſſint. Quæ tabulis ultimis inſerta beneficentia cum innotuerit, res non modò literaria, ſed etiam eccleſiaſtica, cur admiretur FRANTZKIUM. cur in ejus beatos manes grata ſit, in novum incidet argumentum.

XXIX. Sic optimus & ſapientiſſimus quisque divitiis uti ſolet: quas ita poſſidet, ut neceſſum ſit, amittere, nihilo ſecius animum retineat bonum. Cujus magnanimitatis, tum alias ſæpius, tum præ reliquis documentum illuſtre FRANTZKIUS dedit, cum incendii repentini flamma, breviſſimo temporis ſpatio, per urbem Gothanam diffuſa, domum, rei familiaris copias univerſas, numeroſæ Bibliothecæ partem maximam, in eaque vix parabiles codices, & quod cæterorum pretia longè ſuperat, monumenta publico deſtinata, cum affectis etiam perfecta, corriperet adeoque pauciſſimarum horarum exitiabilis furor deſtrueret opera plurimorum annorum. Vidiſſes, nihil indignum committere faſtigio ſuo, & ſortis præſentis tam fortiter pati tædia, quam prudenter blanditias præteritæ tulerat. Hic caſus, neſcio, funeſtior ob damni magnitudinem, an ad explicandam mentis conſtantiam opportunior FRANTZKIO fuerit. Nunquam Sol intentiorem frequentioremque ſpectatorem habet, niſi cum metuunt homines, ne totus deficiat.

Ne-

Digitized by Google

Nemo curioſius obſervat Lunam, niſi laborantem. Viros generoſos nihil magis, quam miſeria conſpicuos facit. Non difficulter adducor, ut credam, horribilem cladem illam, in peculiare virtutis experimentum FRANTZKIO divinitus illatam, fatis aperire volentibus, eò præditum eſſe FRANTZKIUM animo, quem nec efferret proſpera, nec infringeret adverſa fortuna: qui, theſauris maximis nobilior, poſſeſſorem ſuum, non in ſpeciem, ſed ex verò beatum faceret. In quod externa vis cadit, hoc infra ſe poſitum arbitrari, non eſt, niſi mentis, quæ ſublimius bonum tenet. Id verò quis tenet, niſi quem ſupra res humanas conſcientia divini favoris evehit? De quo ſatis certus, ut immortalis beatitudinis jam pignus habet, ſic in majorem futurorum bonorum fiduciam, voluptate quadam ineffabili puriſſimaque circumfluit & impletur, præ quâ ſordeant omnes, cæteroquin affectibus & ſenſibus noſtris ſuaves, illecebræ. Tot internis & manentibus gazis totus innixus, quid mirum, ſi conſtantis inconſtantiæ ludibriis expoſitas negligenter habeat, nec magnopere conqueratur, die quodam accidiſſe, quod omni potuit accidere? Talis habitus verè Chriſtiani pectoris eſt, qualem in FRANTZKIO ſpectas, ſive calamitoſa reſpicias tempora, ſeu res ſecundas intuearis. Hæ nihil debilitabant, illa potius accendebant, adeò non exſtinguebant pietatis ardorem.

XXX. Non igitur magis audiit, quam fuit, Chriſtianus: cujus officium tantò fidelius exſequebatur, quanto rectius noverat. Quippe nihilo remiſſius, imò intentius ſtudium, quam in alias res, in ſacri Codicis Pandectas, &, quibus erat inſtructus, in ſelectiores interpretes impendebat. Nec in his acquieſcebat: etiam Theologica, noſtræ pariter & priorum ætatum, ſcripta, ſeu invictis argumentis ſuam Religioni veritatem aſſerentia: ſeu controverſias intricatas, quæ conſcientiam turbare poſſunt, enodantia: ſeu veteris Eccleſiæ rationem tradentia: quæ cognoverat elaboratiſſima, ſæpe nocturnus tractabat: nec horis ſacris & ſucciſivis deſtinatos in hoc genere ſubducebat libros, niſi legendo cum curâ pervolutos. Videlicet turpiſſimum exiſtimabat, in aliis præſtitiſſe, quantum homo præſtare poteſt: in omnium nobiliſſima ſcientia finire laborem, ubi vulgus ingeniorum ſolet. Quo valuerat, progreſſus, & divinarum quoque rerum minimè trivialem ſupellectilem ani-

animo complexus, in rem Eccleſiæ ſalutarius conſulebat, de viris ad ſacra munera promovendis verius judicabat, & quoties ita ferebat locus, ſtrenuè diſputando, Fidem, quam profitebatur, defendebat: cæterum meliori ſententiarum, ſemet invicem, non cœleſtis doctrinæ fundamenta, contumaciter oppugnantium parti, ſecurius accedebat, nec ad ſuperſtitionem inſiſtebat autorum placitis, ſeu ignorantia, ſeu invidia turpiter laborantium.

XXXI. Maximus in Theologicis partæ ſcientiæ fructus erat, cum ita vitam ſuam componeret, ut ſenſum divinæ gratiæ, non niſi pientiſſimis reſervatum, &, quæ comitantur eum perpetuò, delicias inenarrabiles, gaudii, quod ſperamus, quædam velut præludia, ſæpius experiretur, beatam verò mortem, & aſſiduus, & intrepidus meditaretur. Huic imminenti FRANTZKIUS adeò non reluctabatur, ut invicta mentis alacritate, quin concitato curſu propemodum obviam procederet. Gravis & diuturnus morbus, qui ſupremum tempus anteceſſit, cum nec removeri, nec levari poſſet, multis hactenus magnisque doloribus obnoxium ſubjecerat: ſed, ut animi fortitudinem opprimeret, tantum aberat, ut ne vires quidem corporis univerſas infringere valeret. Itaque, cum adveniſſet fatalis hora, proximus æternitati, repentino ſe motu in pedes erigere, vicinumque locum, ubi labores inprimis ſacros tractare conſueverat, petere, nullo fulciente, ſuſtinebat: nobilem facturus morte ſuâ, quem vitæ non ingloriæ conſcium reddiderat. Se jam demiſerat, ut pulpitis aſſideret, cum hilarem vultu, Solis orientis radios intuentem, inter devotiſſima ſuſpiria, ſubito deficeret vita. Minus vulgare fati ſupremi genus habuit, qui cæterorum pleraque cum pauciſſimis communia: celeriter eò delatus, quo diu cogitaverat.

XXXII. Non jam querelarum varietati locum dabimus, aut temeritati verborum indulgentes, operosè maledictis inſectabimur, quicquid hoc eſt, quod mortales appellant mortem. Verus & ingens luctus, ut in occulto ſuam exercet vim, ſic cenſetur ſtupore, non lamentis. Et communem moriendi neceſſitatem inclementiæ durioris arguere, quid aliud eſt, quam criminis ream peragere naturam humanam? Pœna teneri, quos manet culpa, certiſſimi juris eſt. Hac ſe cum nemo liberare poſſit, cur mirari ſubeat, neminem ab illa penitus immunem haberi? Solatii verò materiam in meditatione calamitatis univer-
ſalis

Digitized by Google

ſalis quærere ſi non irritus planè, nimis tamen lubricus, & verſatilis labor eſt. Enimverò, miſeriarum ſocios habere multos, ſi quod eſt, miſerum eſt ſolatium. Doloris, nec acerbitatem tollere, nec gravitatem minuere poteſt: ærumnarum verò non affert oblivionem, ſed auget memoriam. Id unum, neque tamen omnibus præſtat, ne grandis ægritudo majus ex invidia robur attrahat. Summa querimoniarum, quas, juſtiſſimo luctu commoti, proferimus, paucis abſolvitur: DECESSIT FRANTZKIUS! id eſt, vir ſummus ac incomparabilis: non in unam Sileſiam, ubi cœpit ducere ſpiritum: nec in unam Thuringiam, ubi renunciavit laborioſæ vitæ, ſed in univerſum Romanum Imperium, cui ſerviit: quin eas in Orbis partes omnes, quas literis ſuis erudiit, immortalibus meritis verè nobilis ac illuſtris. Dedit SALICETOS Italia, GOMEZIOS Hiſpania, PITHOEOS Gallia, Belgium WESENBECIOS, reliqua Germania, PISTORIOS, GENTILES, RITTERSCHUSIOS. Sileſia protulit REUSNEROS, non FRANTZKIOS. FRANTZKIOS in uno omnes accepimus: omnes in uno amiſimus FRANTZKIOS. Quod ſi tamen vivere judicandus eſt, qui verſatur in animis eruditorum, non modò, qui ſenſibus inter homines obvius agit: nec amiſimus, nec amittere poſſumus FRANTZKIUM: qui, cum nullum haberet filium, quem in paternarum virtutum hæreditatem, in poſteritatis ſpem, ſæculo ſuo ſiſteret, aut educatum, aut educandum: effecit alio modò, ne futuris temporibus deeſſet FRANTZKIUS.

XXXIII. Hæc ut tibi gratanda felicitas ſit, FRANTZKI, quæ poſt funus te ſuperſtitem nobis relinquit in terris: tamen potius eſt, ut applaudamus beatitudini tuæ, qua ſemel in cœlis potitus, per infinitas ſæculorum ætates frueris. Habes, quod expectant alii, bonum: quo ſublimius habere non poſſumus. Tui ſecurus, noſtram, doleo vicem. Fata noſtra, prius Deo, deinde tibi commiſimus. Prima bene diſpoſueras, & in eo jam eras, ut optimè diſponeres majora, cum ille multò melius pro te diſponeret tua. Pietatem hanc, qua piis Manibus tuis juſta ſolvimus: hoc officium, quo tibi jacenti probamus obſervantiam noſtram, inter illa memoris animi documenta refer, quibus viventi placere contendimus. Nihil auribus tuis dedimus: quibus ventoſiſſimi ſæculi nugas, & inanes honorum formas

mas ſemper exoſas, interdum vix tolerabiles fuiſſe novimus. Virtutes tuas mediocriter adumbravimus, non penitus expreſſimus? res tuas geſtas non nihil delineavimus, non ſatis depinximus. Suis eas coloribus, debitum in modum exornatas proponere, partim non valuimus partim noluimus. Non enim committere ſuſtinuimus, ut integra nominis tui gloria, cum longè ſupra vulgarem conditionem ſit, omnino repræſentata, cuiquam ſuſpecta redderetur. Multa, non audita, ſed cognita prædicavimus, niſi quod in his etiam, cum domeſticæ, tum publicæ cauſæ, nos juſſerunt eſſe parciores. Cæteris te laudibus intra conſcientiam veneramur. Tam bene tum officiis defunctus, debuiſti ſemel, ne poſſes unquam poſtea, mori: citius in cœlis eſſes, non ſupereſſe diutius in terris debuiſti.

In Effigiem

Celeberrimi ICti,

GEORGII FRANTZKII.

PRincipis ERNESTI *ſic* FRANTZKE *fidelis Achates*
Ora gerit, noſtro clarior elogio.
Ingenii vigor haut ullâ depingitur arte,
Non niſi per fœtus pingitur ille ſuos.

JOH. MICH. DILHERRUS.

SCRIPTA.

Exercitationes juridicæ, in quibus CXL. Controverſiæ ex principiis juris eruuntur & diſcutiuntur: *Ienæ* 1623. in 4. *Arnſtadi* 1647 in 12. *Heidelb.* 1663. in 8.

Tractatus de Laudemiis: *Ienæ* 1628. 1664. in 4.

Reſolutio famoſiſſimæ Legis Gallus: *ibid.* 1624. & *Argent.* 1653. in 8.

Comment. in XXI. libros Pandectarum: *Argent.* 1644. in 4.

Reſolutio de liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis: *Ienæ* 1644. & *Argent.* 1653. in 8.

Variæ Reſolutiones: *Gothæ* 1648. 1657. in 4.

Notæ in Wegneri tractatum de Verborum & rerum ſignificatione: *ibid.* 1656. in 8.

Commentarius in IV. Libros Inſtitutionum juris civilis: *Argent.* 1658. in 4.

De Majeſtate in genere: *ibid.* in 4.

De Evictione & duplæ ſtipulatione in 4.

RECTOR
UNIVERSITATIS
ALTDORFFINÆ
M. JOH. CONR. DURRIUS
SS. TH. ET PHIL. MOR. P.P.

Ad Funus

VIRI

Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atque Conſultiſſimi

DN. JOHANNIS KOBII,

Hilperhuſani Franci

PHIL. ET J. U. D. CELEBERRIMI,
IN UNIVERSITATE ALTDORFFINA
LOG. & METAPH. QVONDAM,
POST INSTITUTIONUM
JURIS PROF. P.
ET INCLYT. REIP. NORIBERG. CONSILIARII

D. 5. Februarii A. C. cIↄ Iↄ CLXI. ducendum

Cives Academicos amanter
invitat.

MAgnum rurſus Virum, Cives Academici, & membrum Senatus Reip. noſtræ literariæ primarium amiſimus & amiſſum meritò lugemus. Conceſſit enim fati legibus, *Vir Nobiliſſimus Ampliſſimus & Conſultiſſimus* DN. JOHANNES KOB, *Utriusque Iuris & Philoſophiæ Doctor, Profeſſor, & Profeſſorum hujus Univerſitatis Senior celeberrimus, Inclytæ Reip. Norib. Conſiliarius graviſſimus.* Ut verò nobiliorem homi-

hominis partem, animam puta, cum corpore ſepeliri Deus nec ſapientiæ nec bonitati ſuæ conſentaneum putavit: ita quod celebratione dignum in vita præſenti erat, abolitum unà cum ipſa pati, nec charitati Chriſtianæ nec Virtutis ſtudio apud ſuperſtites convenit. Præſertim in funeribus, ubi *ſalve* illud & *vale*, quo Veteres mortuos, tanquam amplius videndos inclamabant, nobis Chriſtianis pro verâ compellatione ſit, qua tanquam de novo tum in cœleſti gaudio per animam, tùm apud nos per gratam atque honorificam memoriam victuros, de novo etiam quaſi ſalutemus. Præſentem verò vitam ingredientem excepit Franconiæ non incelebris Urbs nomine Hilperhauſen. Prima, quam aſpexit, lux erat ea, quæ Chriſto Servatori Hieroſolymam ultimò ingredienti facem prætulit, cum plauſu quidem populi, ipſius verò lachrymis (prorſus ut in humanis nativitatibus, quibus ad ærumnas, tanquam Chriſtus ad crucem, tendimus, fieri ſolet) Palmarum puta, in decimum Aprilis An. C. 1590. tunc incidens, Pater erat *Honeſtiſſimus atque Prudentiſſimus Vir* DN. STEPHANUS KOB, *Senatus, ut ubi vocatur, exterioru & minoru Aſſeſſor*, Mater, *Honeſtiſſima & omni virtutum laude cumulatiſſima*, CATHARINA, *Viri* itidem *Honeſtiſſimi atque Prudentiſſimi* DN. LAURENTII Rothnagels *ex Interiori atque Majore* (ut itidem ibi vocaut) *ordine Senator*. Primi fœderis, quod Baptiſmum vocamus, Teſtis & quaſi Sponſor erat, *Vir Integritate atq; Honeſtate conſpicuus* DN. JOHANNES Bayer/ *Dulciarius & Civis inter primarios ejusdem Vrbis.* Primam Inſtitutionis officinam aperuit ipſi *Vir doctiſſimus* PETRUS KLIPERUS *Scholæ Hilperhuſanæ Moderator*, cujus fidem, induſtriam, dexteritatem & ſimiles, quæ in Rege puertiæ (quo nomine Venuſinus Poëta hunc ſtatum ornat) fulgere debent Virtutes, beatè defunctus celebrare non ſemel ſolitus eſt. Hujus itaque Inſtitutione in duodecimum usque ætatis annum uſus, quo Teſtimonio, quibusque inter alia ab ipſo verbis dimiſſus ſit, aſſcribere operæ præcium putavimus, ſic autem habent: *Etſi difficile eſt, ut Cicero inquit, alios commendare, propter varia ingenia & mores hominum, tamen cum hic honeſtus & ingenuus Iuvenis* JOHANNES KOB Hilperhuſanus, *à primis ætatis ſuæ annis ſub mea diſciplina & inſtitutione verſatus Scholæ mutationem cum parentum, tùm etiam meo conſilia ſuſcipere decreverit, pro mea humanitate, præſertim cum ſit honeſtis, piis & gratis parentibus*

 natus,

natus, ac probè educatus, quod petiit teſtimonium omninò recuſare non potui. Verè igitur affirmo, eum toto hoc tempore, quo inſtitutione mea uſus eſt, pii, ſeduli & frugi Scholaſtici officio eſſe perſunctum. Inprimis enim Pietatis doctrinam, omnis ſapientiæ Dominam, Catecheticam videlicet doctrinam puerilem ſummo amore ac ſtudio didicit, cui utriusque linguæ Latinæ & Græcæ, nec non Muſices & Arithmetices aliarumque lectionum præcepta quibus quaſi fundamentis omnis liberalis eruditio ſuperſtruitur, pro ratione ætatis ſuæ ſtudiosè adjunxit. Et ut verè dicam, ſi qui ſint ex cœtu noſtro ſcholaſtico, de quibus bonam concepimus ſpem, hic quidem non poſtremus eſt ex illorum numero, idque his literis & ſigillo meo uſitato ad calcem impreſſo teſtatum volo. Dignus igitur eſt, qui ad alios commendetur, quemque omnibus bonis, honeſtis & doctis Viris commendo &c. Hactenus verba Teſtimonii, Cedro profectò digna, & omnino talia, ut dubitare poſſis dexteritatemne & candorem Magiſtri, an indolem præclaram diſcipuli prius admireris. Tam brevi enim tempore & eâ ætate, quâ multi ludum literarium vix ingreſſi ſunt, diſcipulum eò perduci potuiſſe, ut Præceptore non modò approbante ſed & authore ac conſultante ad peregrinos & tam inſigni cum fructu, ut eventus docuit, dimitti potuerit, ut facultatis docendi in illo non vulgaris: ita in hoc ingenii non niſi præclari & ad honeſta omnia nati indicium eſt. Cum hoc teſtimonio Anno ætatis duodecimo, qui erat Chriſti nati ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſecundus, Noribergam ſe ubi contulit, Scholam ibi Laurentianam, cum laude iterum ſuorum Præceptorum, & aliorum, quibus notus fuit ad Annum usque ſalutis 1609. frequentavit. Ut verò Virtus ſemper ſuos invenit patronos, & juxta Comicum:

Sat habet fautorum, ſemper qui rectè facit

Ita nec huic Dii ejusmodi tutelares defuerunt. Primarii enim in Urbe Noriberga Cives atque Mercatores *Spectatiſſimi Viri* DN. BARTHOLOMÆUS VIATIS, & DN. GEORGIUS Lang / præter alia plurima beneficia, quibus piè defunctum, uti ipſe ſæpè celebrare ſolitus eſt, cumulatiſſimè affecerunt, etiam in Altdorffinam hanc noſtram promoverunt, ubi & illorum ſubſidiis, & Nobilium Juvenum ex immediata Nobilitate Francica inſpectione, aliisque vitæ honeſtæ atque laudabiliter actæ emblematibus omnium Profeſſorum favorem & honeſtam exiſtimationem concitavit, adeoque aditum ad honores Academicos

cos

coſ facilem ſibi reddidit. Primam lauream, ut vocant, Baccalaureatum, adeptus eſt Decano atque Promotore, *Viro Excellentiſſimo & Experientiſſimo* DN. ERNESTO SONERO, *Phyſices tunc temporis Profeſſore longè celeberrimo,* Competitoribus DN. MATTHÆO BORLEMAN, & DN. M. JOH. VOGELIO, *Rectore hodiè in Schola Sebaldina, ut Clariſſimo ita fideliſſimo,* Amico beatè defuncti intimo & ad mortem usque integerrimo. Sed novam ipſi amicitiam Virtus conciliavit. Vir enim *Præſtantiſſimus atque Spectatiſſimus* DN. PHILIPPUS Beernbeck. (antiquæ & celebris in Franconia proſapiæ) eum domeſticum, & generum poſtea, Anno nimirum 1617. adſcivit, deſponſata ipſi Filia ſua HELENA *pudiciſſima Virgine.* Ipſe interea, Diſputationibus Philoſophicis atque Juridicis applauſu non mediocri ſibi conciliato, dignus tandem habitus eſt, qui *Excellentiſſimo atq; Celeberrimo illi* PICCARTO in Profeſſione Logica cum Metaphyſica conjungenda ſuccederet. Cui honori ne competentia deeſſent inſignia, ſecundo hujus Profeſſionis Anno, qui erat ſalutis humanæ M. DC. XXI. Magiſterii honore mactatus eſt, teſtimonio ſcilicet non eruditionis (hac enim niſi prius fuiſſet conſpicuus, in Profeſſorum ordinem non fuiſſet cooptatus) ſed modeſtiæ, ne ea ornamenta quibus alii ad eum locum in quem prius aſcendiſſet aditum demum ſibi parant, minoris, quam revera eſſent, facere videretur. Locum autem adeptus inter novendecim Competitores primum: Quam dignus eſſet loco non tantùm hoc ſed alio longè altiori, ſi altior in illis carceribus tunc fuiſſet datus, quamque celebrem tum ſe, tum totam Univerſitatem à ſua Profeſſione reddiderit, amplius eſt quam ut hujusce chartæ anguſtiis includi debeat. Verùm ut fructus hujus Profeſſionis dexteritatisque in ea tantæ hunc Philoſophicum locum unicè requirere videbantur: ita ſublimiorem meritò præclara dona promittebant, & temporis ſucceſſu conferebant. Anno enim Salvatoris M. DC. XXXVII. In Doctorem Juris promotus eſt, Decano *Viro Nobiliſſimo Excellentiſſimo atque Conſultiſſimo* DN. NICOLAO RITTERSHUSIO, *Iuris Vtriusque Doctore, Pandectarum in hac Vniverſitate Profeſſore Publico, Inclutæ Reip. Noribergenſis Conſiliario Collega noſtro honoratiſſimo.* Ne verò Sparta, quam hic quoq; ornaret, ipſi deeſſet, profeſſio Regularum Juris extra ordinem cum Logica atq; Metaphyſica conjũgenda concredita ipſi eſt: qua

usque in annum eum perſunctus, quem vacuum in Juridica Facultate fecerat obitus *Viri* itidem *Nobiliſſimi Excellentiſſimi atque Conſultiſſimi* ÆGIDII ARICOLÆ. U. J. D. *& Codicis in hac Univerſitate Profeſſoris celeberrimi, Inclytæ Reip. Noribergenſis Conſiliarii fideliſſimi.* A Profeſſione Philoſophica ut & Juridica illa extraordinaria liberatus, in Juris Conſultorum Ordinem planè & plenè aſcitus, Inſtitutionum Imperialium Profeſſor factus eſt A. C. 1645. Qua in Profeſſione ſi nulla alia documenta dediſſet, (dedit autem plurima) quanti eſſet in Philoſophia ſapere & Artes docendi ſublimioribus Facultatibus præmittere, vel unicum hoc hujus Viri exemplum docere poſſet. Ut enim in docendo atque diſputando aliisque hujus officii partibus fidem animum pium & fructus auditorum apprimè cupidum, aſſiduitas laborioſum, nullasque moleſtias unquam refugientem: Ita Methodus modusque docendi, ad captum auditorum tàm ad miraculum penè usque accommodatus virum oſtendit talem, cujus eruditionem non in ſuperficie natare ſed à radicibus earum etiam diſciplinarum, quarum vel intuitum multi ſuperciliis ſuis inferiorem putant, altiſſimè defixis, & fundamentis ſolidiſſimè jactis aſſurgere, ultrò appareret. Quibus omnibus quomodo morbus & tandem mors ipſa, finem impoſuerit, de ejus conjugiis poſtquam aliquid dixerimus, pauca etiam afferemus. Conjugium ſucceſſu temporis celebravit geminum, à concordia, amore mutuo & aliis, quibus converſatio conjugalis amabilis & jucunda reddi ſolet, & fortè pro concione funebri pluribus recitabuntur, utrumque exoptatiſſimum. Primum inchoavit Anno poſt partum Virginis 1617. ut ſupra diximus, finitum Anno inde duodecimo partus ἀδυναμίᾳ, qua uterus maternus fœtus ſui ſepulchrum factus eſt. Qui caſus mœſtiſſimus, unà cum plurimis antecedentibus non multum huic diſſimilibus. (quippe ubi quinque fœtus ægrè & partu non niſi difficillimo, ſextus vix tantiſper vivus dum S. Baptiſmo frui poſſet, ſeptimus planè mortuus in lucem editus erat) hi, inquam, caſus mœſtiſſimum viduum per integrum octennium in vita ſolitaria tenuerunt, donec divina providentia ita gubernante An. C. M.DC.XXXVIII. ad ſecunda vota tranſiit cum *Matrona Nobiliſſima atque Honeſtiſſima* MARIA, *à priori conjugio Müleggia, à domeſtica proſapiâ, Trammelia,* nuptiis celebratis die 12. Februarii ejusdem Anni ſed ſterili con-

Digitized by Google

conjugio. Quam ſterilitatem tamen in hoc & difficultatem in priori conjugio egregiè compenſavit filia ex prima Marita unica, Matrona *Nobiliſſima* MAGDALENA, quæ uti ad Pietatem & omnes Virtutes, hunc ſexum familiamque tam honeſtam decentes atque ornantes, educata, ad hanc educationem ſemper morigera, & optimis parentibus non parum gaudii & in ærumnis modò delineatis ſolatii: ita in vita conjugali plurimum decoris atque honoris toti familiæ attulit & intulit; Nupta prima *Nobiliſſimo ac Strenuo Viro* DN. HIERONYMO ANTONIO Welſer/ *Patricio Auguſtano*, ex quo etiam Filium concepit HIERONYMUM FELICEM, non tam deliciis puerilibus, quibus ipſa natura primam ſaltem ætatulam parentibus conciliare ſolet, quam indole egregia ac ſpe indubitata optimæ frugis, tùm Avo tum Matri (Patri enim poſthumus eſt) adblandientem. Quos Pietatis & reliquæ virtutis igniculos Avus piè jam defunctus ſaluberrimis monitis Virtutumque præceptis cum arctâ diſciplina conjunctis reſuſcitare non deſiit, præſertim, dum & ipſe viribus integrior & Mater vidua adhuc eſſet. Succeſſit in hanc curam, vel potius ſuam conjunxit, & quotidie (nulli nec operæ nec ſumtibus in procuranda nobiliſſimi palmitis fruge & ſalute parcendo) gnaviter conjungit Gener beatiſſimi noſtri ſecundus, *Vir Nobilisſimus Excellentisſimus atque Conſultisſimus* Dn. ERNESTUS CREGEL, *Iuris Vtriusque Doctor, & in hac Vniverſitate Iuris Publici & Inſtitutionum Imperialium Profeſſor Publicus, Incluta Reip. Noribergenſis Conſiliarius*, Socerum & Patrem unà cum Conjuge, Vidua & Nepote beatè defuncti amariſſimè lugens.

Vitam porrò & affectum hujus Viri erga Deum & homines, ab eo potiſſimum tempore, quo hic nobiſcum fuit prædicare pro dignitate qui conaretur, parùm abeſt quin dicamus, actum agere & tamen nihil agere. Actum ageret, quia per ſe patent: nihil ageret, quia quicquid dixerit minus quam res requirat dixerit. Pietas in Deum animi ſanè eſt, non operis externi. Hoc tamen dicimus: dicta & facta omnia, hoc eſt, ut cum Servatore loquamur, fructus, reverentiam ſcil. erga Miniſterium, Sacramenta, & omnia ad cultum aliasque res Divinas ſpectantia, fuiſſe ejusmodi, ut de bonitate hujus arboris nec hac in parte dubitare ulli bono liceret. Fructuum horum non poſtremus erat etiam Concordia & intima conjunctio cum Col-

Digitized by Google

legis, Liberalitas in egenos non tantùm ſanguine conjunctos, ex quibus erant frater & ſoror in Patria ipſius, quibus belli ſuperioris tumultibus ad incitas pene redactis auxiliares manus largiſſimè & promptiſſimè porrexit: ſed & alienos, privatim hujus Oppidi, quibus jam ante ſemeſtre legato, quod brevi in ipſos diſtribuetur, proviſum voluit. Quemadmodum & Cives non Academicos minus quam Oppidanos proſecutus eſt iis officiis atque beneficiis, quorum, niſi ſint ingratiſſimi, non facilè obliviſcentur. Magnitudo certè horum & multitudo facit, ut penè ſuper vacaneum putemus dicere de egregio illius amore, quo complexus eſt omnes ſanguine & affinitate junctos & Domeſticos, ſub quibus vel maximè intelligimus Generum, quippe quem licet aſſiduè præſentem habere non potuerit, habere tamen, ſi vel diſtantia loci, vel officii hujus ratio permiſit, ſeriò deſideravit. Cum morte & morbo ejus prænuncio ita comparatum eſt: Ab annis ſex vertigine laboravit, ſine dubio ex aſſiduis lucubrationibus orta. Poſt reditum ab acidulis Weiſenburgenſibus, macies corpus ad oculum ferè depaſci cœpit, decreſcente paulatim flamma vitali, non ceſſante interim apud ipſum diligentia in docendo, & quidem domi, ita cenſentibus Benigniſſimis Dominis noſtris: publicos actus in Decanatu interim aliaque munera obeunte Excellentiſſimo Domino Genero. Viribus tandem huic etiam oneri ſuccumbentibus, Nobiliſſimi Strenui & Prudentiſſimi DNN. SCHOLARCHÆ conſiderantes ſimul ſummam Profeſſionis Inſtitutionum in Juridica Facultate neceſſitatem, Generum ſæpe laudatum ipſi ſucceſſorem dederunt, datis d. V. Sept. Anni proximè elapſi literis, in quibus ratio hujus facti his ipſis inter alia verbis allegabatur: Daß bey ſeinem bekandten preßhafften Zuſtand Er von fernerer function ſeines vorhin viel Jahr über rühmlich verrichten officii abgehalten wurde/ pro qua honorifica dimiſſione maximas DEO atque Benigniſſimo Magiſtratui egit gratias: Genero verò, cui grave videbatur. Socero adhuc vivo ſuccedere, calcaria his ipſis verbis addidit: *Bono eſto animo! quare non lætarer te ſucceſſore? adi Spartam, quam nactus es, eamque orna. Profeſſio mea longius elinguis eſſe nequit. Gratulor tibi ex animo, Univerſitatis noſtræ ſplendorem attrahere perge.*

Ante ſeſquiannum circiter œdema in crure ſiniſtro natum, quod poſtea in effluxum prorupit, qui tamen ante

paucos

paucos menſes ſpontè ſubſtitit & ruptura coaluit, unde humores, quibus vel percoquendis vel expellentis facultates huic negotio deſtinatæ deficiebant, in corpore collecti tandem die prioris menſis XXVIII. pectori cum impetu incumbentes flammæ vitali omnimodam extinctionem intentare cœperunt. Quo animadverſo ad abitum ex hac vita ſe accinxit, & quemadmodum nocte antecedente animam & corpus Servatori ſuo hiſce verbis commendavit: *Domine Ieſu tibi commendo corpus & animam meam: adſit mihi Sanctus tuus angelus ne Satanas quicquam juris potentiæ ſuæ in me exercendæ reperiat:* ita poſt meridiem vocato ad ſe Confeſſionario Viro *plurimo Reverendo atque Excellentiſſimo* DN. LUCA FRIDERICO Reinhardt/ confeſſionem edidit: Sanctiſſimoque Corpore ac Sanguine Servatoris paſci & potari *ſummo Zelo* (hæc enim erant verba ad DN. Confeſſionarium) deſiderabat. Cujus petiti compos factus prorſus tranquillus cogitationes de rebus terreſtribus omnes ex animo delere animadverſus eſt, dormienti ſimilis. Qui tamen ſomnus cum non omninò naturalis Genero videretur, quærenti ex ipſo: num Dominum Jeſum ſuum in animo retineret, hiſce verbis repetitis reſpondit. Zweiffelt nur nicht/ Zweiffelt nicht/ ad fratrem Generi DN. BURCKARDUM CREGEL, J. U. Studioſum & pro more ſolito ipſi adſtantem & miniſtrantem *hic*, inquit, *intimus in corde meo erat*. Venienti poſtridie &, ut frequentiſſimè antea, ipſum viſitanti Viro *Nobiliſſimo Excellentiſſimo & Conſultiſſimo*, DN. D. LUDWELLO &c. Compatri & Amico ipſius intimo & ex ipſo quærenti, quomodo habere? *benè* reſpondit, *in Domino Ieſu meo*, & ad filiam præſente eodem DN. D. LUDWELL & Viro *Experientiſſimo atque Excellentiſſimo* DN. MAURITIO HOFFMANNO Medicinæ D. ac Profeſſore) Du biſt mir eine liebe gehorſame Tochter geweſen/ du haſt dich Ehr und Redlich verhalten/ Die menſis antecedentis penultimo, Mercurio apud Aſtrologos deſtinato, Agones mortis majori impetu aggredi ipſum cœperunt, ubi Confeſſionarius ipſius mox præſens dictare ipſi cum cœpiſſet hos verſus:

Da Pater extremæ cum vitæ venerit hora,
Te præſente mori, nil me terrentibus umbris,
INQVE TUOS ANIMAM AMPLEXUS EFFUNDERE OVANTEM:

Digitized by Google

Verba illorum & potiſſimum ultimi verſus clare repetiit. Poſt, quia DN. Confeſſionarius, Uxor jam vidua, Gener & Filia in ipſo animadvertiſſent, Muſica pia & devota ad obitum usque ipſum delectari, ideoque conſolationi excitandæ comparatas cantiunculas Hertzlich lieb hab ich dich ꝛc. Auff meinen lieben GOtt ꝛc. Ein feſte Burg ꝛc. Vatter unſer im Himmelreich ꝛc. ipſi præcinerent: multoties canoram vocem ipſis conjungere auditus eſt. Idem fecit circa meridiem præſente VIRO *Plur. Reverendo & Excellentiſſimo* DN. WEINMANNO *S.S. Theologiæ Doctore*, cum pueri de Schola oppidana cantionem Auß tieffer Noth ſchrey ich zu dir ꝛc. Ach HErr laß dein liebe Engelein ꝛc. ad fores ipſius canerent. Dicente ſuper his filia: Ach Vatter wie gerne habt ihr in der Kirchen bey der Orgel euch hören laſſen / (arte enim & voce canendi inſigni ad Altum ſyſtematis Muſici, quod rarum habetur, præditus erat) *& adhuc facerem inquit,* Ich wolte es noch thun. Genero ipſi dictanti illud Apoſtoli: *Militavi bonam militiam &c.* cum perveniſſet ad ultima verba: *nunc repoſita eſt mihi corona gloriæ, &c.* clarè & cum ſummæ devotionis ſignificatione ſubjecit ipſe: Ach Ja. In hoc gemitu & inter preces Domini Confeſſionari & *Reverendi* DN. SPOERELII *Symmyſtæ Eccleſiæ noſtræ* perſeveravit, usque ad horam quintam veſpertinam, ubi Catarrhus calorem vitalem extinguere & domare cœpit. Idque duravit usque ad nonam, ubi candelæ inſtar placidè (ut aſtantibus videbatur) extinctus eſt. Erant autem aſtantes: plur. Reverendus Dominus Confeſſionarius, *Matrona Nobiliſſima atq; Honeſtiſſima* SUSANNA DIETHERRIA, Conjux jam vidua, Gener, Filia, Nepos, nepotis antehac pædagogus Jacobus Schwab / Collega Scholæ, & Gundlingius Studioſus inter Benigniſſimi Magiſtratus Alumnos, cum Annos ætatis exegiſſet LXXI. in Profeſſionibus initio Philoſophicis, poſt Juridicis ultra XXXX. in Conjugio, annis duarum ſucceſſivè uxorum in unam ſummam redactis, XXXV. perfunctus Dignitate Rectoris ter, Decani in Juridica Facultate ſexies, in Philoſophica quater, & primo in hac eo Annò quo noſtra Univerſitas ampliora privilegia adepta eſt, qui erat à N. C. M. IↃC XXIII.

Nunc veſtri officii quid ſit, ut intelligatis nobis interpretibus vel etiam monitoribus, Vos, Cives Academici, non indigere omninò confidimus. Profeſſori enim prima-

mario, optimè de plurimis merito, de omnibus mereri certè nunquam non ſtudioſo, Viro tali, cui ſimiles nedum pares paucos adhuc habemus, uno verbo Ornamento Univerſitatis, ita erepto, ut conſpectui noſtro nunquam deinceps in hac vita reddendus ſit, comitem agere, ut ſummis honoribus: ita recuſare hoc officium, ſi præſtare poſſis, ſummo dedecori æquiparandum fuerit. B. V.

EPITAPHIUM.

ADESTE. QVÆSO.
QVOTQVOT. SERENUS. ARDOR. EXCITAT.
VERÆ. ET. CANDIDÆ. EXEQVIAS. IRE.
VIRTUTI.
NAMQVE. CUJUS. VIRTUTEM. ET. INTEGRITATEM.
INCLUTA. HÆC. ALTDORFFINA.
A. PLURIMIS. JAM. RETRO. ANNIS.
NOVERAT.
KOBIUS.
OCCIDIT.
HEU. DOLOR.
QVID. CANDIDA. ANIMA? VOLAVIT.
QVID. CONSILII. INGENS. VIS? COELUM.
SAPIT.
TERRENUM. CUM. IPSA. TERRA.
DEPOSUIT.
NOBIS. OMNES. INEPTIAS. REMISIT.
RISIT.
QVO. APTA. CORPORIS. CONCINNITAS. ET.
ANIMÆ. INDEX.
VULTUA. INTEGERRIMUS.
PLACUIT.
LUIT. QVAS. NATURÆ. DEBEBAT.
POENAS.
QVO. FACUNDIA. ORIS? OBMUTUIT.
NE. MUTIRE. QVIDEM. AUDET.
VICTA. MODIS. INEFFABILIBUS.
QVO. SALES. FESTISSIMI. ABIERE?
IERE.
AD. NOS. NUNQVAM. REVERSURI.

QVOS.

QVOS. TAMEN. AD. SE. VOCANT.
PROPEDIEM.
SEPULCHRO. HEU. NULLI. NISI. IPSI.
PULCHRO.
CLAUSUM. EST. QVICQVID. IN. VIRO. FUIT.
VIRTUTIS.
QVIESCIT. STUDIUM. INDEFESSUM.
QVODQVE. OLIM. AMABAT. NUNC. DETE-
STATUR.
FRONTEM. DUCIS. LECTOR? VERA.
CREDAS.
SIC. NIHIL. PROFUTURA. CURAMUS.
IMPIGRE.
MOX. DETESTANDA. OPTAMUS.
FERVIDE.
SEU. MORTIS. NECESSITATE. SEU. NATURÆ.
ID. FIAT. VITIO.
NOS. INEXCUSSUM. RELINQVIMUS.
O. VANITAS.
QVID. VANA. VENARIS. NOSTRA. CONSILIA.
QVAM. MOX. IPSA. DETESTATUR.
PRÆDA.
QVOD. SUPEREST.
LAUDES. ENIM. TEMPORI. PRÆDICANDAS.
RELINQVIMUS.
TU. JAM. SEPULTO. PARCAS. INVIDE.
PARCE. PIAS. SCELERARE. MANUS.
SUPRA. HUMANAM. SORTEM. NUNC.
LOCATUS.
SPERNIT. CONVICIA. FINEM. ADEPTUS.
GLORIAM.
QVA. PRO. MORTALI. ÆTERNUS. EST.
FACTUS.
PRÆIVIT. IVIT.
DUCEM. SEQVUNTOR. MILITES.
QVOS. EXEMPLUM. AD. SIMILEM. GLORIAM.
ANIMABIT.
ILLE.
IN. FORTUNÆ. PRISTINÆ. HOHORUMQVE.
INSIGNIBUS.
QVÆ. AUGUSTISSIMA. VESTIS. EST.
MORTUUS.

EA.

Digitized by Google

EA. VESTITUS. IN. ABRAHÆ. SINU. CAMPIS. ELYSIIS.
SECURE. QVIESCIT.
NOS. NE. HUMANITATIS. VIDEAMUR. IMMEMORES.
QVI. VIRTUTIS. CONTINET. EXEMPLAR.
LAUREA. ET. CYPRESSO.
DONABIMUS. TUMULUM.
ET. EXTREMUM. CLAMABIMUS.
VALE.

SCRIPTA.

Heptas Diſputationum de principiis juris: *Altorph.* 1654. in 4.

De jure Naturali, Gentium & Communi, ad §. 6. 1. *ibid.* in 4.

Diſputationes æque Philoſophicas quam juridicas habuit, uti ſunt: De Ordine doctrinæ: De Prædicamento ſubſtantiæ: De natura & conſtitutione Dialecticæ Ariſtoteleæ: De Prædicamentorum Protheoria, ſive de Antiprædicamentis: Problematam Miſcellaneorum Philoſophic. Decas: An & quomodo affirmanti incumbat probatio? An ſubſtantia ſubſtantiæ ſit contraria? Theorema organicum, quod habitus Analyticus in uſu tranſeat in ipſas ſcientias? Theſes V. Miſcellan. De Conſtituto Poſſeſſorio, pro gradu doctorali, & quæ ſunt ejuscemodi plures,

PRO-

Digitized by Google

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOANNES BACMEISTERUS

Med. Doct. Prof. Publ. & Poliater

Ad ſolemnes Exequias funebres

Quas

Ampliſſimo, Conſultiſſimi & Excellentiſſimo

VIRO

DN. HENRICO RAHNEN,

J. U. D. & Profeſſori celeberrimo,
Ducalis Conſiſtorii Aſſeſſori graviſſimo, nec
non totius Univerſitatis Seniori venerando,
Collegæ noſtro deſideratiſſimo

Vidua & Liberi Mœſtiſſimi

Hodie hora Prima paratas cupiunt:

Omnes omnium ordinum Cives Academicos officioſè & peramanter
invitat.

REdemptori noſtro Jeſu Chriſto terræ carceres perrumpenti, glorioſè reſurgenti & de Morte, Mundo, Diabolo totaque ſtygia cohorte devicta triumphanti, exactis feriis Paſchalibus voce ac mente devota & grata pœanas & epinicia certatim accinuimus, memoriam ſimul miraculoſi tranſitus populi Iſraelitici per mare rubrum recoluimus, agnum Paſchalem ſtantes & lumbis cincti comedimus, & ad beatam ex hac vita in æternam Palæſtinam emigrationem animum præparavimus. Agno paſchali condimen.

Digitized by Google

dimenta non mellea, vel ſaccharo conſperſa, ſed ſalgama ex lactucâ amarâ confecta apponebantur, quo typo epulum agni non ſegnibus & delicatis, ſed calamitatum amaritudine tinctis exhiberi ſignificatum fuit. Nutrimentum agni qui expetunt & mare hujus vitæ rubrum feliciter transfretare deſiderant, embammata quoque pungentia & *γλυκύπικρα* guſtare & alacriter concoquere & Jubilis Paſchalibus lugubres leſſus & nenias miſcere oportet. Mixturam hanc Chriſtiani milites pij experiuntur, morbis variis afflicti, fluctibus pelagi hujus mundani concuſſi, à Pharaone ſimilivè Mavorte fugati, preſſi, ad Mare rubrum deducti, Virgâ verâ Aaronis id findentes, naulo peccatis merito exſoluto, ſicco pede tranſeunt, morti & ſatanæ ſpicula, haſtas & aculeos feliciter adimunt, & hinc opima ſpolia in triumphum ducunt. Hiſce trophæis inſtructi facilè Cacodæmones & Infernales furias ſubinde novos inſultus machinantes repellunt, Bellonæ diritatem coërcent, metum mortis excutiunt & ex Metrocomiâ hacce Ægyptiacâ per vaſtum maris rubri pelagus in Cœleſtis Canaæ tuta metæcia ſecurè migrant, in iisque *Quaſimodogeniti*, cum omnibus piis æternum Paſcha celebrantes, tripudiant. Hujus migrationis felicitatem omnes in Domino morientes & in Chriſtum reſurgentes experiuntur. In quorum numero meritò cenſemus Virum Ampliſſimum, Conſultiſſimum & Excellentiſſimum Dn. HENRICUM RHANEN, J.U.D. & Profeſſ. Celeberrimum, Ducalis Conſiſtorii Aſſeſſorem graviſſimum, Seniorem hujus noſtræ Academiæ Venerandum, qui ut decurſum vitæ piè tranſegit, ita procellis pelagi mundani variè exagitatus, tandem Chriſto Salvatori verè *Quaſimodo genitus*, ad Paſchatos cœleſtis celebrationem ſub vexillo Triumphantis victorioſi Redemptoris in æternum Sanctorum tanquam in tutiſſimum portum, ubi dolor non ſentitur, gemitus non auditur, bonum æternum poſſidetur, delatus eſt. Grave, fateor, vulnus hujus celebratiſſimi Viri obitu Academiæ noſtræ inflictum eſt, & haud ſcio, an ullum à longo tempore gravius. Amiſimus enim Virum varia doctrinâ & multijugâ lectione, quemq; omnis politioris literaturæ *ἀφροδίτην* & *χάελ[illegible]* meritò appellare poſſumus, magnum hujus Scholæ decus & ornamentum. Nolim ego quidem malè ominari, ſed dum abripi & è medio tolli videmus illos, quibus tanquam tibicinibus & columnis hactenus hæc Academia ſuffulta fuit,

quid

quid aliud ſperare poſſumus, quam magnum literis infortunium impendere? Sed hoc Deus omen avertat: cui, quia ita viſum eſt, ut Academia noſtra tam illuſtri lumine privaretur, in divina ejus voluntate libenter acquieſcemus, & quo juſtiores nobis ſunt cauſæ doloris, eò acrius in honore hujus viri & morte decoranda annitemur. Anne autem cui quam mirum videbitur, ſi mihi almæ matris Academiæ calamitatem deploraturo, cujus jam toties paucis ab hinc annis animum dirus pertranſivit gladius, è morte tot clariſſimorum Virorum, nova ſubinde clade accepta, idem contingat quod Bartholomæo Sotino apud Alexandrum Pontificem, Demoſtheni Græcorum Oratori apud Philippum Regem, Herodi Attico coram Marco Antonio, Heraclyto Lycio coram Severo Principe cauſam, oraturis, aliisque diſſertiſſimis Oratoribus contigiſſe Hiſtorici perhibent, quod verba facturi, ſive ſplendore & authoritate eorum, coram quibus dicere conſtituerant, perculſi, ſive rei, de qua dicere parabant, aut gravitate aut dignitate deterriti, obmutuerint. In ſummis habentur mortalium bonis, & ſunt quoque non apud Vulgus ſaltem, verum etiam alios, quos à plebe ſejunxit vel virtus vel doctrina quædam ſingularis, Patria, Parentes, educatio, ingenium, res familiaris, favor bonorum, Conjugium blandum, proles ingenua, & quibus inſuper quotidiè indigemus in hac vita homunciones miſeri. Plurimum enim intereſt, qua quis gente ortus prodeat, cum alia nimis ſit barbara, alia ob ſuperbiam vel levitatem, vel voluptates male audiat, hæc ſub aere craſſo nil niſi craſſum, illa inter ſcopulos nil niſi durum producat. Nec minus refert, quales ſint qui te generent: ex bonis enim plerumque boni, ex elegantibus naſcuntur elegantes, atque elucet in parvulis majorum virtus quælibet. Nec tamen naſci ſatis eſt, aut vultu referre atque indole etiam Progenitores tuos, quæ in te gliſcit ingenii ſcintilla accendatur oportet, ut non tibi ſolum, ſed pluribus quoque luceas aliis, qui per te, ubi opus erit, videant, in quantis tenebris vel pravorum ſeductione, vel etiam errore proprio ſedeant. Neceſſaria ſi tibi deſint, dolebis, neque enim emergere poteris absque mediocri rerum in quibus vita noſtra conſiſtit, poſſeſſione atque uſu. Habeas ſupremi numinis benignitate, requiritur, vel per Parentes, vel per amicos & fautores, unde edas, quo ſuccreſcens & te & quoscunque tuos eſſe aliquando juſſerit Deus,

largi-

Digitized by Google

rargiter alas: Hæc verò omnia uti jucunda ſunt, ita ægerrimè relinquimus, quod per varias, quibus obnoxii ſumus, calamitates accidere videmus quotidiè ſingulis, modò enim deſolari cernimus Patriam, amittimus Parentes atque cognatos, jacturam facimus vel quorundam vel omnium bonorum, deſtituimur amicis, orbamur liberis & quicquid magni faciebamus, aufugit cum dolore noſtro. Maxime autem terribile eſt, nos ipſos, dum adhuc viget ingenium, neque quidquam deeſt rerum neceſſariarum, inter complexus noſtrorum deficere, & cum Medicorum induſtria præſtare nil poſſit amplius, animam exhalare, extenſos jacere ſine motu, malè olere, efferri, ſub terram recondi, in cineres verti, ut ſpes ſupereſſe videatur nulla, quæ vel ipſis vivis derelictis ſolatio eſſe queat, niſi divinitus revelatum dogma nos doceret, ſupereſſe aliam vitam, multoque hac meliorem, in quam migremus quotquot hic pie atque ex præſcripto Salvatoris viximus. Omnia hæc enumerata capita deſideratiſſimi noſtri Dn. Collegæ perſonæ accommodabimus, & ejus vitæ primum ortum, progreſſum & egreſſum paucis delibabimus. Simonides Patriam glorioſam homini virtute prædito ornamentum, Civem laudatum Patriæ decus eſſe dicebat. Fœnerari lucem à patria Viro huic non eſt neceſſe, quin eum Patriæ ſuæ ſplendorem auxiſſe conſtet: Patria tamen ipſi non Ithaca Ulyſſis: ſed Mundi hujus lucem, ſi modo lux dicenda eſt, primum intueri ille cœpit in Germaniæ gentis bellicoſæ atque optimarum literarum cultricis Saxonia, Brunſvvici, vel ut alii appellant, Tubiſurgii in Civitate Saxoniæ Metropoli, aque Brunone, Ducis Saxoniæ filio ejusdemque conditore, nomen obtinente, anno poſt Chriſtum natum MDCI, die XIV. Februarii, ortus à Parentibus longe Clariſſimis, Patre Viro Ampliſſimo, Conſultiſſimo & Excellentiſſimo, DN. HENRICO RHANEN J. U. D. primum, Ducatus Brunſvvicenſis Practico feliciſſimo, nec non Syndico Civitatis Helmſtadienſis graviſſimo, poſtmodum vero Ducis Luneburgicæ Viduæ Winſenſis Conſiliario. Matre verò fœmina caſtiſſima CATHARINA Reichen/ ex perantiqua & nobili Rikiorum, Ducatus Brunſvvicenſis familia oriunda. Avum Paternum nominavit Virum Integerrimum HENRICUM RHANEN, Civem olim Neobrandenburgenſem hujus Ducatus Mecklenburgici. Aviam vero Paternam matronam lectiſſimam Meckel Baden. Avus

Maternus ipſi fuit Vir Magnificus, Nobiliſſimus & Ampliſſimus DN. BARTHOLDUS Reiche/ primum in Academiâ Lipſienſe Profeſſor celeberrimus, poſtmodum verò redux ex Italia, ubi in Academia Bononienſi gradum Doctoris in utroque jure aſſumpſerat, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis ac DN. HENRICI, Ducis Brunſvvicenſis & Luneburgenſis, gratioſiſſimæ recordationis Conſiliarius intimus, bisque Legati vices ad Potentiſſimum Poloniæ Regem, nomine ſuæ Celſitudinis ſumma cum laude ſuſtinens, nec non canonicatus S. Blaſii in Ducatu Brunſvvicenſi Decanus venerabilis. Avia Materna verò Matrona eximiis virtutibus conſpicua CATHARINA Köneken. Poſſent longiùs Avorum nomina colligi: Verum & illud defuncto parum prodeſt: Miſerorum ſiquidem hominum eſt egere propriæ Virtutis, atque in receſſione Avorum prolixum eſſe. Quaſi quod olim ad Trojam pugnaret Achilles, illud in numerum benefactorum poſteris veniret. Defunctus noſter ſuo cenſu ſuoque ingenio dives fuit, majorum imagines ut calcar ad virtutem habuit, non quod ipſis ſe oſtentare vellet. Ex tam nobili ac clara proſapia fuit ortus, de quo in præſens agimus, DN. D. RHANIUS p. m. Collega noſter, dum vivebat, conjunctiſſimus, loco ſatis illuſtri, adeò, ut, ſi in puero refert ex qua affectione cœli primum ſpiritum duxerit, quod vult Orator, & ſi non raro majorum virtus in poſteros transfunditur, quod fieri docet experientia, non mirum ſit ex tam fœcundo virtutum ſemine, in tam benè mollito & honeſtate ſubacto agro enatum eſſe hujusmodi florem, qui ſcientiæ & virtutis coronam maximè ornaret. ac ſpectantium oculos nativa amœnitate plurimum oblectaret. Et hoc ipſum eò magis, quod accesſerit ratio conformatioque doctrinæ, & aſſidua cultorum induſtria in ſchola tam Patria quam Wiſmarienſe. Poſtquam enim proximo poſt nativitatem die per baptiſmum regeneratus, &, vix abſoluto ſecundo ætatis anno, Dn. Parente orbatus eſſet, à Matre in timore domini educatus eſt, jactisque in ſchola Patria primis literarum fundamentis, non delicatulorum more lacte materno enutriri, paternisque tantum laribus litare volupe duxit, ſed nondum Ephebus amore ſcientiæ. Anno M. DC. X. cum fratre Conrado Wiſmariam ad Materteræ maritum, Virum Ampliſſimum & Conſultiſſimum DN. MATTHÆUM GERDESIUM tum temporis ibidem Syndicum Civitatis,

iter

iter ſubiit, ibique principia in patria hauſta ulterius excoluit, nullosque labores, ſudores,algores, ſubterfugit, donec tandem hæc fratrum biga Anno M. DC. XVI. à Matre in Cœnobium Ileſeldenſe Ducatus Brunſvvicenſis evocata, ibidemque in numerum Alumnorum Celſiſſimi Principis recepta eſt, ubi tum temporis juventus accuratè erudiebatur. Quo in loco etiam per tres integros annos gnaviter literis ambo invigilarunt. Et quamvis Anno M. DC. XVII. Mater chariſſima mortem obiret, atque ſic Virorum Excellentiſſimorum DN. D. VALENTINI MOLLERI Decani, & DN. D. CONRADI COLERS Canonici primum canonicatus S. Blaſii, poſtmodum vero Celſiſſimi Ducis Saxoniæ Inferioris Cancellarii Magnifici, ſe ſuaque committere cogerentur, quæ res multis ſæpiſſime exitium parare ſolet. Hoc tamen nihil obſtante, feliciter ibidem virtutum ac doctrinæ fundamentis poſitis, de Conſilio Dn. Præceptorum atque Tutorum Anno M. DC. XIX. die XXIV. Octobris ad capeſſendos uberiores ingenii fructus JENENSEM ſalutarunt Academiam, & in celebri illo Lyceo, quæ feliciter cœpta erant ſtudia, gnaviter per integrum fere quadriennium, continuarunt. Anno M. DC. XXIII. die II. Maji ad illuſtre literarum Emporium Academiam Lipſienſem ſe contulerunt, cum verò ob quædam emergentia illic locorum non diu ſubſiſtere poſſent: Eodem anno die ſcilicet XXIII. Julii, Helmſtadium conceſſerunt. Neque tamen μακαρίτης noſter pravo hujus ſeculi more, Muſis inſalutatis in Themidos ſacraria irrupit, nec Accurſianum illud, *Græca ſunt, legi non poſſunt*, in ore habuit nec humaniores literas, nec Latinam Grajamque linguas faſtidiit, ſed hiſce velut alis adjutus, Parnaſſi cacumina non tantum transvolavit, verum etiam iiſdem quaſi fidis remigibus juris Vaſti pelagi, exiguo temporis decurſu, plenis velis, felilicibusque ventis potiſſimam partem emenſus ulterius iter cœptum continuare anniſus quidem, aſt, invadente Anno M DC XXV. Helmſtadium Peſte, totumque Ducatum Brunſvvicenſem Exercitu Cæſareaneo occupante, locum mutare cum Dn. Profeſſoribus aliisque Studioſis & alias Muſarum ſedes quærere coactus eſt. Felici itaque ſidere cum fratre ſuo Almam hanc noſtram Roſarum Academiam ingreſſus eſt, nihilque de priſtino erga literarum ſtudia ardore remiſit, ſed majori quam ante alacritate cœptam ſtudiorum telam feliciter pertèxuit. Quia verò ali-

 cubi

Digitized by Google

cubi benè vixiſſe commendandum, proinde ut teſtimonia aliquot publica vitæ bene actæ obtineret, aliquoties ſub Præſidio Virorum hujus Academiæ eo tempore in Jure celeberrimorum ſumma cum laude de Materiis juris graviſſimis reſpondit, inque illis exercitiis Academicis ſtrenuum ſeſe geſſit Athletam, donec Anno M. DC. XXIX. à Nobiliſſimo & Strenuo Viro GEBHARDO ab ALVENSLEBEN Erxlebiam vocatus eſt, ut Advocando & Conſulendo ipſius præeſſet rebus, cui ſpartæ etiam per annum & quod excurrit fideliter præfuit. Cum verò in excidio Urbis Magdeburgenſis omnia Acta juridica nominati Nobiliſſimi viri incendio perirent, non potuit ulterius officio illo Advocati noſter pie defunctus fungi, ſed impetrata venia ad priſtinas Muſas rediit, & Anno M. DC. XXXI. hoc noſtrum Roſetum ſecunda ſalutavit vice, nec non vicinam Gryphiſvvaldenſem inviſit Academiam, iterumque ad nos reverſus ob multiplicem Virtutem & confirmatam eruditionem omnibus non tantum gratiſſimus fuit, ſed etiam ab Ampliſſimo Ducali Collegio Profeſſorum obtinuit, ut Illuſtriſſ. ac Celſiſſimo Principi Mecklenburgico DN. ADOLPHO FRIDERICO beatiſſimæ memoriæ, Domino noſtro Clementiſſimo, ad Profeſſionem juris nominaretur, in quam denominationem factam Celſiſſimus quoq; lubenti conſenſit animo: Obtenta itaque Vocatione illa legitima A. M DC. XXXII. lectiſſima & pudiciſſima Virgo ELISABETHA von der Lippen/ Nobiliſſimi & Magnifici Viri DN. CHRISTOPHORI von der Lippen/ J. U. D. & primum Conſiliarii Mecklenburgici, poſtmodum verò Sereniſſ. ac Potentiſſimi Daniæ ac Norvvegiæ Regis CHRISTIANI IV. glorioſiſſimæ recordationis, Cancellarii filia dilectiſſima, ipſo Pentecoſtes Feſto, ipſi Suerini deſponſata eſt. His ita expeditis peregrinationum modicarum ſecum expendit utilitates, & ut illas quoq; obtineret, per Ducatum Bremenſem & Friſiam Orientalem, confœderatas Provincias Belgicas adiit, atque perluſtratis Academiis celeberrimis Groningenſe, Franeckerana, Lugdunenſe, & Ultrajectenſe, per Selandiam in Angliam transfretavit, & poſtquam Londini per aliquod temporis ſpatium ſubſtitiſſet, Academias Oxonienſem & Cantabrigienſem inviſit, indeque in Galliam ſe contulit, & tam Lutetiæ Urbe totius Galliæ primaria, quam Aureliæ Galliæ Celticæ Civitate nobiliſſima, aliquantiſper commoratus eſt, ut cum ſummis illis perfectæ literaturæ heroibus, qui tum temporis in iiſdem vivebant, conferret & ita in ſtudiis ſe magis

gis

Digitized by Google

gis ac magis confirmaret. Propoſitum DN. RAHNIO erat, cæteram quoque Galliam perluſtrare, audiendisque quibus illa abundabat Jure Conſultis præſtantiſſimis anni aliquam partem impendere. Sed hoc conſilium mutare ipſum coegerunt literæ revocatoriæ: Quare per Brabantiam ſalvus quidem & incolumis hic tandem quidem appulit, verum in ipſo Itinere varias devorare moleſtias coactus eſt. A Latronibus quippe cum comitibus nocturno tempore intra Rhormundam & Venloem Urbes ſpoliatus non in exiguum vitæ diſcrimen incidit, ut taceam quæ Itinere maritimo propter tempeſtates perpeſſus ſit. Reverſus itaque ſummos in jure honores ambiit, quos etiam An. M. DC. XXXIII. d. XIX. Septembr. habita primum Diſputatione Inaugurali Decanus ſpectabilis Vir Ampliſſimus Excellentiſſimus & Conſultiſſimus DN. ALBERTUS HEIHIUS Senior JCtus celeberrimus, more in Academiis recepto, publicè cum aliis ſex competitoribus ſummo omnium cum applauſu ipſi contulit. Præterlapſis poſt Promotionem aliquot ſeptimanis, XXX. ſc. Octobr. ad Profeſſionem introductus, & in Facultatem Juridicam, nec non numerum Conſiſtorialium receptus eſt. An. M. DC. XXXIV. d. V. Febr. cum deſponſata ante hac ſibi lectiſſima Virgine ELISABETHA von der Lippen/ in jucundiſſima nuptiarum vincula ſe conjecit. Cum hac Uxore annos vixit octo ſine jurgio ſine offenſa, & quinque liberos ex amabili hoc conjugio ceu matrimonii fructus ſuſtulit, tres filios HENRICUM, CHRISTOPHORUM & CONRADUM, & duas filias, MARGARETHAM nempe & CATHARINAM, quorum liberorum HENRICUS, CHRISTOPHORUS & MARGARETHA in ipſa infantia vitam cum morte commutarunt: CATHARINA vero primum Viro Conſultiſſimo & Excellentiſſimo *Dn. Hieronymo Cocchio* J. U. D. in matrimonium data, poſtea autem hoc defuncto marito, Excellentiſſ. ac Clariſſimo *Dn. Martino Collero* juncta, adhuc cum Fratre *Conrado*, qui gnaviter in peregrinis locis literis operam dat, in vivis eſt. Poſtquam vero hæc ELISABETHA An. M. DC XLII. d. VII. April. in ipſo puerperio extincta eſſet, Maritus quidem per ſeſqui annum Viduum thorum preſſit. Cum vero ob labores publicos domui ſuæ ritè præeſſe non poſſet, ad ſecunda vota, ſuadentibus amicis, tranſit & Anno M. DC. XLIII. d. 13. Sept. Fœminam elegantiſſimis moribus & omnium virtutum matronalium laude apprimè decoratam ELISABETHAM, Viri Nobiliſſ. Conſultiſſ. & Excellentiſſ.

Digitized by Google

DN. LAURENTII STEPHANI J. U. D. Illuſtriſſ. ac Celſiſſ. Duc. Mecklenb. Conſiliarii, Judicii Provincialis Vice-Præſidis, Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſoris, Univerſita- Roſtochienſis Anteceſſoris ejusdemque Senioris olim graviſſimi filiam, Ampliſſimi & Conſultiſſimi DN. LAURENTII MARQVARDI J. U. D. & Archiepiſcopi Bremenſis atque Verdenſis olim Conſiliarii relictam Viduam, uxorem duxit. Hoc Conjugium bonis auſpiciis cœptum tam feliciter utrique ceſſit, ut ne voto quidem ſuavius optare potuerint. Etenim cum hæc maritum ſedulo coleret, ad ejus nutum ſe totam componeret, è publico aut à libris venienti curas & moleſtias placido ſermone abſtergeret, rem domeſticam ſingulari induſtria adminiſtraret, & nullum probæ ac prudentis matris familias officium omitteret; Ille verò uxorem mutuo amore complecteretur; haud aliter fieri potuit, quam ut ab accenſa nuptiali face usque ad funebrem perpetua inter illos Concordia vigeret, qua nullum optabilius bonum Conjugibus evenire poteſt. Neque hoc poſterius conjugium ſterile fuit, ſed ex eodem ſex progerminare vidit elegantes floſculos LAURENTIUM ſcilicet, CHRISTOPHORUM, ANNAM, JOACHIMUM, BARBARAM & ELISABETHAM, è quibus quinque Vitæ hujus uſura fruuntur & cum Matre dilecta obitum Parentis acerbiſſimis proſequuntur lachrymis: BARBARA vero patrem in cœleſtem patriam præeundo, turbato naturæ ordine, antevertit. Per totum vitæ tempus domitis cupiditatibus purgatoque pectore Deum colebat, non ad opinionem aliorum neque ad vanam gloriam reſpiciens, ſed id agens ſedulo, ut potius eſſet, quam videretur pius. Nullum ſanè diem à ſacris meditationibus relinquebat vacuum, rerum agendarum initium à precationibus capiebat, ceremoniis & precibus publicis lubens intererat, attente audiebat qui populum erudirent, nec ulla erat unquam tam horrida tempeſtas, nullum frigus etiam adulta hyeme tam aſperum, quod ipſum ceremoniis nondum finitis è templo expelleret, aut à frequentanda æde ſacra avocaret. Cum verò nemo ſit mortalium, in cujus pectore non hæreat aliquid labis vel nativæ vel contractæ per conſuetudinem, nihil ipſi erat antiquius, quam ut ſtatis anni temporibus, quicquid ſordium concepiſſet, pia confeſſione elueret, & animo ad hunc modum depurato particeps fieret myſteriorum, quibus nobis verum corpus & ſan-

Digitized by Google

& ſanguis ſalvatoris noſtri exhibetur: Hac igitur virtute, quæ reliquarum parens eſt, munitus, quid mirum ſi bellum omnibus vitiis indixit? Si voluptates, quæ ſenſuum titillatione percipiuntur, repudiavit? Si faſtum & ſuperbiam fuit exoſus? Si mendacium tanquam Peſtem refugit? Si aures non patefecit adulatoribus? Si frenis iram compeſcuit? Si ab avaritia à ſordibus, ab ambitione emancipatam mentem geſſit? Si denique omnibus animi affectibus à recta ratione averſis januam præcluſit & in legitima officii ſui functione fidelem ſeſe geſſit. Ab eo tempore poſtquam in ſanctæ Themidos Cathedra veſtigium figere cœpit, nihil in ſe deſiderari paſſus eſt eorum, quæ ad Academiæ noſtræ dignitatem commodaque conſervanda, & amplificanda facere viderentur. Docendi labores cum quadam voluptate & alacritate animi ſubibat, penſum ſuum accurabat probe: quicquid eruditum in doctiſſimo pectoris ſui ſcrinio poſſidebat, id cum Auditoribus, qui diſcendi ſtudio, arderent, libenter communicabat: de obſcuris clare, de dubiis enucleatè diſſerebat, & quidem tanta cum dexteritate, ut res palam ante oculos ponere, & tanquam tabulas pictas in bono lumine collocare videretur. Conſultus de jure ſpeciem facti ejusque circumſtantias auraria quaſi ſtatera ponderabat, neque pro nutu conſultoris, ſed pro juſtitia cauſæ pronunciabat, &, ut multa paucis comprehendam, non erat è Valetudinario illorum Jureconſultorum numero, qui ſui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias, litesque mira arte ſufflaminant, &, quos ſemel in plagas ſuas compulerunt, eos non niſi depilatos dimittunt. Valetudine uſus eſt per DEI gratiam proſpera, nec varios in vita morborum inſultus ſuſtinuit. I. Aprilis de Cordis quadam anxietate conqueri cœpit, quæ tamen, adhibito à me præſcripto Medicamento, ſtatim ceſſit: Altero die ipſum quidem decumbentem propter aſſumtum Medicamentum inveni, verum de nullo præter laſſitudinem membrorum amplius conquerentem morbo. Tamen illo ipſo die circa mediam ſextam Veſpertinam fortiſſima correptus Apoplexia præter omnium expectationem, ſubito ex hac Balthici littoris Academia, in Cœleſtis juſtitiæ Templum placidiſſima morte evocatus eſt, poſtquam vixiſſet Annos LXI, ſeptimanas VI. & dies IV. Nobis in illo perierunt quam plurima: Ipſi præter hoc mortale corpus nihil deceſſit. Academiæ noſtræ hæc mors verius quam illius eſt.

Digitized by Google

Hanc enim ille diſceſſu ſuo vehementer concuſſit: huic orbitatem reliquit, ipſe æternitate atque immortalitate ſempiterna cumulatur. Non illius igitur vicem, ſed noſtram piis lachrymis conditionem merito deflemus: Nobis namque ereptus eſt Vir qui annos XXIX. in Academia docuit, qui in eadem ſepties Rectoris Magnifici munus geſſit: qui per XXVIII. annos Ducalis Conſiſtorii Aſſeſſor, & Cœnobii Virginalis S. Crucis fuit Proviſor: Merito igitur Mors hujus optimi Viri dolorem noſtro Ordini, Mœrore Collegis ſuaviſſimis, Squallorem Uxori & Liberis, luctum ac gemitum omnibus bonis affert, quem pro ſua quisque parte, dum juſta funeri ipſius hodie perſolventur, teſtatum faciemus. Hortamur autem omnes Legum Academiæ noſtræ ſubditos, ut prodeant: Imprimis vero Dn. Studioſos, ut una memores reverentiæ Magiſtratui debitæ ad defuncti Profeſſoris exequias certò accedant, ſeque publico hoc dolore perculſos eſſe ſupremo pietatis officio ſignificent.

P. P. Roſtochii ſub Sigillo Rectoratus IX. Aprilis Anno M, DC. LXII.

Concio funebris ei habita eſt ex 2. *Timoth.* IV, 7. 8. à *Caſparo Mauritio* D. P. P. & Superint. Roſtoch.

EPITAPHIUM.
STA. VIATOR.
EFFERTUR. ECCE. INDICTIVUM. FUNUS.
VIRI. DUM. VIVERET.
NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI.
HENRICI RAHNII. JCTI.
ANTECESSORIS. SENIORIS. IN.. VARNIACA.
CELEBERRIMI.
ET. OB. CONTINUATUM. PROPE PER. XXX.
ANNOS. MUNUS.
ILLUSTRIS.
CONSISTORII. DUCALIS. ASSESSORIS.
CONSISTORII. DUCALIS. ASSESSORIS.
GRAVISSIMI.
VIRI. VERE. VIRI.
ID. EST. QVOD. MIRACULUM. DICAS. BONI.
ET. VERE. ΤΕΤΡΑΓΩΝΟΥ.
QVEM. LACONES. VOCABANT.
DIVINUM.
NON. ILLI. SINON. IN. FRONTE. NEC.
ULYS-

ULYSSES. IN PECTORE.
IPSA. ERAT. PROBITATIS. IDEA.
CONSTANTIÆ. IMAGO.
EXACTUM. PRUDENTIÆ. EXEMPLAR.
INTOLERABILIS. NULLI.
NISI. QVI. TOLERARI. VEL. NON. POTERAT.
VEL. NON. DEBEBAT.
MORES. EJUS. OMNIUM. AMORES.
VERBA. NULLI. DEDIT. NEQVE. VENDIDIT.
IPSE. VERO.
ÆTERNITATIS. AMANTIOR. QVAM. SECULI.
VIVERE. NUNC DESIIT. UT. INCIPERET.
TU. VERO. VIATOR. LUGE.
NON. MORTALITATI. EREPTUM.
SED. MORTALIBUS.
EGO. NUNC. IN. UNO. MULTOS. DEPLORO
PRÆCEPTOREM. COLLEGAM. IMO. PARENTEM.
ADDO. ET. HOSPITEM.
METRA. QVÆ. IPSE. DOLOR.
TRUNCAVIT.
SCRIBO.
ΕΠΙΜΙΚΤΑ.
DANIEL. GEORGIUS. MORHOFIUS.
U. J. D. ET. ELOQ. PROF. P.

EPIGRAMMA.
De eodem Defuncto.

RAhnius ille bonæ nuper pars optima gentis,
Defecata meæ lampas amicitiæ.
Pauperiæ dives, argento pauper & auro,
Omnibus æqualis, omnibus unus erat.
Egregiis illum Vir qui virtutibus æquet,
Unus ſi fuerit, vix, reor, alter erit.

GEORGIUS NICOLAUS ERASMUS, Lagæ Paſt.

SCRIPTA.

Diſputationes de legitima defenſione & moderamine inculpatæ tutelæ: De libellis: De Concurſu Actionum: De concurſu & prioritate creditorum: De jure belli & pacis: De Teſtamentis: De Tutelis: De Fidejuſſione: De jurejurando: De injuriis & famoſis libellis: De Privilegiis Nobilium &c. *Roſto.* diverſis annis in 4.

Digitized by Google

RECTOR
UNIVERSITATIS
ALDORFFINÆ
M. JOHANN-PAULUS Fellwinger/POLIT. METAPHYS. ET
LOGIC. PROF. PUBL.
AD COHONESTANDAS ET FREQVENTER EUNDAS EXEQVIAS
QVAS
VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO
AC CONSVLTISSIMO
DOMINO
VVILHELMO LUDVVELL,
JC. ILLUSTRISS. PRINCIP.
AC DN.
DN. CHRISTIANI AUGUSTI
COMIT. PALATINI RHENI-BAVARIÆ &c. SULZBACENSIS, UT ET INCLUTÆ REIP. NORIMBERGENSIS CONSILIARIO, IN HAC UNIVERSIT. COD. ET FEUDOR. P. P. H. T. FACULTAT.
SUÆ DECANO SPECTATISSIMO
MARITO SVO PIE ET PLACIDE IN CHRISTO DEMORTVO MOESTISSIMA VIDVA RELICTA
XV. CALEND. OCTOBR. ANNO cIↄ Iↄc LXIII.
HONORIFICE PARATAS CVPIT,
CIVES ACADEMICOS, præmiſſa ſalute,
officioſe & amanter
INVITAT.

Niſi

Digitized by Google

NIſi receptæ conſuetudinis neceſſitate prohiberemur: feſtinationem acerbiſſimi, quod hoc die nobis incumbit, officii eò usque deprecaremur, donec ex vulneris altè impacti ſtupore nonnihil emergentibus, exquiſitiorem juſti doloris ſenſum recipere, & ſedare lachrymis mœrorem, verbisque egerere liceret. Ea enim per triſtiſſimum obitum ſummi Viri, WILHELMI LUDWELLI, clade afflixere immitia fata Academiam noſtram Vosque adeò, ô Cives, juxta omnes, ut animi ad mentionem tam chari nominis exhorreſcant, luctuque velut refugiant, nimium heu! fidem facientes illi, quod eſt apud Tragicum:

Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.

Quo minus vitio nobis vertetis, ſi triſtitiæ noſtræ morem gerentes, procul habito ſcitè ornateque compoſito encomiorum, quæ virtus & ingentia Viri merita ſibi nobisque imputavere, ambitu, imaginem amiſſi tam grandis boni ſtylo ſimpliciore & eò, qui calamitati noſtræ explicandæ convenit, oculis mentibusque ſubjecerimus.

Lucem hauſit d. XX. Novembr. An. cIↃ IↃ LXXXIX. Elbingæ in Pruſſia, Patre JOHANNE LUDWELL, orto ex præcipua nobilitatis Anglicæ familia, quæ per aliquot ſecula in illo regno vividam vim conſervavit, animique virtutem poſteris celebrandam tranſmiſit. Paterni ſtemmatis decus pulchra acceſſione auxit Mater divina virgula obtingens, pia, placida, morata, prudens, matronalis dignitatis luculentiſſimis documentis ſui ſexus æqualibus dubiam faciens palmam. SOPHIA ei nomen: genus ducebat è SCHONAVIORUM gente nobili in Pruſſia. Felix Wilhelmus hac Matre, Felix Pater tam exoptata Conjuge, quæ juxta cum virtutibus haud ſpernendas divitias, (virtutum commode & feliciter exercendarum inſtrumenta & ὄργανα) in penates intulerat: ſed potiores erant efflorescens è thalamo ſoboles præſtantiſſima, præter Wilhelmum, Thomas, Johannes, Jacobus, & Zacharias. Ex his noſter ille jam à primo ætatis flore nihil virium & contentionis reliquum fecit, quo nativitatis felicitati vitæ integritate & induſtria reſponderet. Igitur poſitis primum ſub cuſtodia privatorum Præceptorum tyrociniis, cum ea altæ indolis ſigna in puero exſplendeſcerent, quæ futuræ frugis augurio Parentes & Præceptores implerent, traditus in diſciplinam publicam fuit Profeſſoribus patrii Gymnaſii, apud quos brevi ita in elegantioribus literis Latinis & Græcis,

cis, ſed & Hiſtoricis, profecit, ut dignus haberetur, qui ex arctioribus ſcholæ carceribus dimiſſus in liberiorem Academicum campum excurreret. Ergò de conſilio & voluntate Parentum Regiomontum conceſſit, cœptam domi feliciter telam ibi ſedulò perſecuturus, & nomen ſuum inter Jurisprudentiæ ſtudioſos profeſſurus. Ubi cum per annum & ſemeſtre ſpatium ætatem exegiſſet, diſciplinæ ſuæ, cui ſe unicè addixerat, elementis fideliter perceptis patrios lares repetiit, Parentum conſilia de ratione ſtudiorum porrò ineundâ requiſiturus. Ab horum ſinu paulò poſt dimiſſus, profectus eſt Zamoſcium, Poloniæ civitatem, quam propriis ſumtibus à fundamentis extruxit, & ibidem Muſis & literarum ſtudiis domicilium erexit Heros Illuſtriſſimus Johannes Zamoſcius. Hic per triennium commoratus non tantùm in interiora Jurisprudentiæ adyta ſe penetravit, ſed & eam morum elegantiam & modeſtiam approbavit, ut Studioſis æqualibus jucundus, & Superioribus unicè charus exiſteret, amplexante eum inprimis & in deliciis habente ADRIANO ROMANO, Canonico Herbipolenſi, cujus ſingulare erga ſe ſtudium & humanitatem, non ſine grata recordatione, haud rarò poſteà apud nos deprædicabat Ubi aliquam ſtudiorum fiduciam ſibi comparaſſet LUDWELLUS, reputans cum animo ſuo, civilium rerum peritiam inſtitutione & diligentia acquiri, uſu, efficaciſſimo talium magiſtro, roborari, extra muſei clathros aliquandiu egredi, & apertiori ſe arenæ credere conſtituit. Nec difficulter viam panderunt Fata. Nam cum Anno præſentis ſæculi XI. Warſaviæ Comitia indicerentur, in quibus fiduciariam ſucceſſionem in Ducatum Pruſſiæ ſibi à Republ. concedi petiit Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps JOHANNES SIGISMUNDUS, Marchio & Elector Brandeburgicus, poſt defunctum ALBERTUM FRIDERICUM Ducem: jam tum in apricum producta eſt virtus LUDWELLI Juvenis: comitatui quippe Deputatorum ſuorum jungebant eum Elbingenſes, experimentum capturi magnæ indolis, quam ſuis commodis deſtinaverant. Nec deſtituit negocium felicibus ſucceſſibus propitium Numen, ſignificaturum fortaſſis hoc modo, quibus muneribus præparandus eſſet LUDWELLI animus. Iſtarum rerum ſic ſatis feliciter geſtarum lætitia plenus cum Deputatis ad ſuos reverſus, horum familiariore conſuetudine

Digitized by Google

tudine pavit animum, paulò etiam poſt Præceptoribus & Amicis Regiomontanis nonnihil indulſit temporis. Cæterum uti *non* ſolet *interire fatorum ſtimulus in certa munera unumquemque pulſantium*, quod ſuaviſſimi oris Barclajus pronunciat: Ita Noſter ex honeſto diverticulo ad intermiſſa aliquantillum ſtudia animum applicaturus, inito cum Parentibus & Amicis conſilio, Altdorffinam petere ſtatuit, excitatus inprimis fama ſummorum, quibus tùm ipſa caput efferebat, Virorum, SCIPIONIS GENTILIS, CUNRADI RITTERSHUSII, ANDREÆ DINNERI, quorum alloquiis, conſiliis, informatione recreari, non minori gaudio & honori ſibi ducebat, quàm olim Achilles Phœnicem ſuum, Alcibiades Socratem, Alexander M. Ariſtotelem ſibi gratulabantur. Horum Ille ab ore fixus pendere, lectionibus publicis atque privatis ſedulo intereſſe, præcepta patulis auribus & mente imbibere, Præceptores vivos cum mutus contendere, denique nihil eorum intermittere, quæ ad ornandam, quam ſibi definiverat, ſpartam facerent. His curis interponere nihilo ſecius προπαιδεύματα καὶ πρῶτα μαθήματα, quæ Veteres vocabant, auguſta verò Jurisprudentiæ ſacraria non niſi per veſtibula Philoſophiæ practicæ ingredienda ſibi ratus, Duces adſciſcere illos ex meliori ævo & puriore metallo Philoſophos πεπαιδευμένους PICCARTUM, QVECCIUM, VIRDUNGUM, quorum limina publicè & privatim non faſtidioſo aditu frequentabat, ac demum id aſſequebatur, ut, quod in Socero ſuo graviſſimus Hiſtoricorum deprædicat, *teneret, quod eſt difficilimum, ex ſapientia modum.* Inter has incitatiſſimorum laborum exercitationes conſcius factus virium ſuarum LUDWELLUS, memor Poëtici effati, *paulum ſepultæ diſtare inertiæ celatam virtutem*, in animum induxit, æqualibus Jurisprudentiæ & civilis doctrinæ receſſus privatim eâ fide pandere, quâ optimi Præceptores adverſum ſe hactenus uſi eſſent. Decet enim (ut præclarè monet Seneca lib. de vita beata c. 29.) *Sapientem primum, ut poſſit aliquis vel à prima ætate contemplationi veritatis totum ſe tradere, rationem vivendi quærere, atque exercere ſecreto. Deinde emeritis ſtipendiis optimos facere & alios, virginum Veſtalium more, quæ annis inter officia diviſis diſcunt facere ſacra, & cum didicerunt, docent.* Atq; ne ædilitatem ſine populi ſuffragio affectare videretur, non ſine fauſtis auſpiciis in poſſeſſionem iſtius muneris immitti

voluit,

voluit, habita An cIↄ Iↄc XIX. pro more hujus Academiæ Diſputatione publica de Jure Dotium, præſidii officium commodante ERASMO UNGEPAUERO JCto celebratiſſimo. Facta ſibi ita privatæ Informationis poteſtate, quæ non niſi iis obtingit, qui rarioris eruditionis & altiorum conatuum ſpem de ſe polliceri poſſunt, LUDWELLUS ſentiens jam melius & altius vitæ initium adventaſſe, nullo à labore ocio reclinatus, omni virium contentione eſt adnixus, ut tanti nominis menſuram ex aſſe impleret. Felicia laborum primordia cepit ab HIERONYMO TREUTLERO, cujus diſputationes plus vice ſimplici Studioſis ventilandas propoſuit. Ubi aliquandiu periculum virium privatim fecerat, magno cum Auditorum fructu & lætitia, jam *tentandam* ſibi *viam* putans

- - - qua ſe quoque poſſit

Tollere humo, victorque Virum volitare per ora:

ſuo marte adornavit diſputationes XVIII. easdemque favente egregiis laboribus Studioſorum populo, Præſidii, quod in Academiis appellamus, tutamine defendit: poſtremo precibus Auditorum expugnatus, ut deſcribendi labore eos ſublevaret, typis exprimendas dedit. Crevit interea occulto velut arbor ævo fama LUDWELLI, atque ipſas etiam Principum aulas occupavit, ut de dicando ſibi ſuisque conſiliis cogitaret Sereniſſimas Elector Brandeburgenſis, & clementiſſimæ voluntatis luculenta ſigna emanare ad eum faceret. Nec defuiſſet deſiderio eventus, niſi feſtinantia, ad felicitatem Altdorffinæ LUDWELLIANO nomine extendendam, fata viam aperuiſſent An. cIↄ Iↄc XXXI. JOH. GERHARDO FRAUENBURGERO obitu ſuo deſerente Juris Feudalis Profeſſionem, vindicandi nobis LUDWELLUM, quem alias & Genii impetus in Academicam magis quam aliam vitam inclinabat, & Studioſorum deſideria retinebant, & Nobiliſſimus SENATUS NORIBERGENSIS dudum condecorandæ Academiæ ſuæ deſtinaverat. Ubi ſemel in publici Honoris orcheſtram, addito eo ipſo anno pignore Inſignium Doctoralium, productus erat, tùm verò, prorſus quaſi certaret Aſtræa in uno LUDWELLO ad ſidera vehendo, ſubinde alia atque alia gloriæ inſtrumenta liberali manu ſubminiſtravit. Poſtquam enim primam, quam nactus erat, ſpartam feliciter & magno publici egregii commodo per annos tres ornaſſet An. cIↄ Iↄc XXXIV. exemto vivorum nume-

ro

Digitized by Google

ro ANDREA DINNERO, Inſtitutionum Imperialium Profeſſione auctior eſt redditus: ſequenti verò XXXV. poſt diſceſſum ex hac Academia ERASMI UNGEPAUERI Pandectarum, demùm à morte ÆGIDII AGRICOLÆ Codicis Profeſſionem juſſu Nobiliſſimi Senatus Norib. ſuſcepit. Inter hæc munera Rectoratum Academicum bis adminiſtravit: Decanatum novies: decimi felicitatem fatorum inclementia interrupit. Has functiones qua fide & ſedulitate, quanto cum Facultatis incremento, quanta cum totius Univerſitatis gloria & immortali celebritate ſuſtinuerit, ampla memorandi copia foret, niſi dedita per omnem, qua patet, Europam fama, erudirtiſſimis ſcriptis confirmata, officium hoc noſtrum dudum antevertiſſet. Non aula, non palatium, non curia facilè ulla eſt, quæ LUDWELLI vel conſilia non requiſiverit, vel LUDWELLUM Præceptorem ſive vivum ſive mutum habuiſſe, non in præcipua laudis ſuæ parte ponat. Additi Imperatoris, Regum, Electorum, Principum, Procerum lateribus Cancellarii, Conſiliarii, Syndici, alii ex informatione, pars ex amicitia, plerique ex magno LUDWELLI nomine gaudii argumenta arceſſunt. Erant etiam, qui ad viſendum LUDWELLUM, tot hominum in ſe ora & ſermones convertentem, confluerent, humanitatis, qua ipſe cluebat, quamque apud exteros celebrari audiſſent, fructum & ipſi percepturi. Extrahebant præterea Virum, tanto cum ſplendore in Academica arena verſatum, in lucem publicam laborantis Reip. Romano - Germanicæ negocia, jungebantque An. XLI. conſortio Virorum Nobiliſſimorum impenſe de patria meritorum JOH. JACOBI TETZELII Senatoris Norib. & TOBIÆ OLHAFII ejuſdem Reip. Conſiliarii & Univerſitatis noſtræ Procancellarii. Poſcebant & alia eum negocia cum Sereniſſimi Principis Palatini tum Nobiliſſ. Senatus noſtri apud diverſos Imperii Principes pertractanda, in quibus omnibus approbabat *animumque prudentem & ſecundis temporibus dubiisque rectum.*

Hæc fata Virum publicè manſere. Privatim ea fortuna exercuit, qualis res humanas rotare ſolet, ut, quod Poëta queritur, *dolor & voluptas invicem cedant brevior voluptas.* Primam thalami ſociam habuit URSULAM, Filiam JOH. PRÆTORII Mathematici exquiſitiſſimi & in hac Academia Prof. Publ. ex qua duas ſuſcepit filias, quarum alteram MATTHIÆ UHLENIO U.J.D. elocavit, altera virgo

virgo deceſſit. Primæ illi defunctæ ſurrogavit CATHARINAM JOHANNIS UHLENII Mercatoris & Civis numeroſioris Senatus Reip. Norib filiam, à qua duobus beatus eſt filiis, quos mortis iniquitas in ipſis cunis extinxit. Afflictis per alterius etiam Conjugis obitum penatibus ad tertia vota tranſiit, domum ductâ è Nobiliſſima SITZINGERORUM Familia ANNA MARIA, Vidua GEORGII GORINGERI, hujus quondam Oppidi Syndici, quæ anteriorum Maritarum elogia partim æquavit, partim etiam & vel eâ re ſuperavit, quod Maritum in ſenium declinantem, & cum mœroribus, quibus iſta ætas obnoxia eſſe ſolet, colluctantem jucundis alloquiis ſubinde in ſerenitatem & animi tranquillitatem erexerit, ſed & morbis impeditum ſine indignationis ſenſu, re, fide, opera, conſiliis, vigiliis juverit & recrearit.

Hæc, Cives, vitæ periodus fuit: hic campus, in quo decurrit L V D W E L L I veſtri doctrina ſtupenda & fortuna varia: quarum illa vos partim patriis, etiam longinquioribus, excitos ad nos invitavit, & expectationem veſtram ſuperans apud nos detinuit. Quod ſi quis famâ magis LVDWELLIANI nominis quam Viri Optimi probitate captus huc profectus propius noſſe diſcupiat LVDWELLVM, is complectatur animo Virum καλοκάγαθον καὶ τετράγωνον, divini Numinis amatorem reverentem, ſacrorum publicorum frequentem cultorem, Senatorem Academicum prudentem, impietatis oſorem, juſti tenacem, ſeverum officiorum exactorem, ſic tamen, ut nunquam non gravitatem ſuaſi humanitate temperaret. Nam quid attinet paterni iſtius erga vos affectus, cujus nomine vel maximè cenſeri ſemper voluit, teneritatem commemorando lachrymarum veſtrarum pluvias in hanc ipſam chartam prolicere, quæ jam noſtris guttis, dum hæc ſcribimus, madeſcit? Fuit ergò L U D W E L L U S noſter & veſter: *Fuimus Troes, fuit Ilium & ingens Gloria* Noriadum; quid enim præter lamenta & ſuſpiria nobis nunc relictum eſt? Reddidit Servatori ſuo animam ærumnis vitæ feſſam, decedentem habitaculo malè materiato & per ſenectutis ac morborum hanc comitantium injurias minus commodo, horâ matutina media quarta d. 12. Sept. An. æt. nondum plenè exacto LXXIV. Triumphat nunc ſuper aſtra, mixta Angelorum & beatorum cœlitum choro beatiſſima LUDWELLI anima, ſecura cœli ſui, nequaquam metuens audax mortalium

lium genus, quod cœlum terræ miſcere hodiè ſatagit. Ignobiliore ſui partem nobis reliquit, quam tamen hoſpitem tàm pulchræ & ſupra vulgarem conditionem evectæ animæ ita aſſervari à nobis fas eſt, ut in tantillis reliquiis venerationem LUDWELLIANI nominis ſartam tectam habuiſſe intelligamur. Fiet id, Cives Optimi, ſi non tam precibus noſtris exorati, quam juſto pietatis ardore accenſi, & noſtro exemplo invitati, poſtremam exequiarum gloriam, quæ ex cultu tanti nominis ad vos redire poterit, vobis vendicabitis. B. VV. P. P. d. 17. Septembr. cIↄ Iↄ CLXIII.

In obitum

Celeberrimi ICti,

WILHELMI LUDWELLI.

PLange Muſa, Muſa plange,
Fila jam ſonora linque,
Mœſta triſtem funde leſſum
Cincta lugubri Cupreſſu:
Hoc agamus, execremur
Dura diræ jura Mortis, Fati & inclementiam.

Non Lycæa trux veretur
Docta doctum pulſitare:
Vis nec illam juris arcet,
Vis nec illi legis obſtat:
Et citantur, & vocantur
BALDUS ac JUSTINIANUS, ULPIANUS, BARTOLUS.

Quos ſtupebas alma quondam
Juris ALTDORFFINA Myſtas,
Hos dolebas poſt ademtos.
Oſſa nunc ubi fidelis
SCIPIONIS & DONELLI
Rittershuſiique magni? Merſa proh! ſunt funere.

Huc & ollus ohe! LUDWELL
Fertur! ohe! Neſtor ollus
Neſtoris non vivit annos!
Juris Hermes hic politus
Jure mortis non ſolutus!
Atra cingit nunc cupreſſus laureata tempora!

Diva mœſtum DICA vultum
Nube funebris calyptræ
Ipſa velat? juris eheu!
Lumen occidit coruſcum.
Sole Pindus noſter orbus
Nunc timens eclipſin atro turget ater Syrmate.

Hen tibi quæ jura ſumis
Mors iniqua! Carpis æquo
Et Catones & Cethegos
Ungue? Nobis, heu! Catones
Linque! Vis ſævire ſæva?
Fige, trude, tunde, tolle manca terræ pondera.

Muſa ſed ſat lacrymarum:
Vota fata non recludunt:
Flebilem ſiſtas Trochæum.
Manibus ponamus Aram
Nunc beatis: His litemus
Miſta mœſto cum cupreſſu liliæ albicantia.

Sic avete, ſic valete
Incolæ, Manes, beati
Ætheris - Cremata buſto
Fama non æterna veſtra
Avolabit ut favilla:
VIVIT ET VICTURA GLISCIT FAMA, VIRTUS, GLORIA!

Illuſtris Senatus Norici
ALUMNI.

SCRIPTA.

Exercitationes, ſive Diſputationes XVIII. ad IV. libros Inſtitutionum Imper. *Altorph.* 1644. 1656. 1662. in 4.
Comment. de diverſis regulis juris antiqui: *ibid.* 1663. in 8.
Synopſis juris Feudalis: *ibid.* 1653. in 8.
Tractatus tres Feudales: *ibid.* 1655. in 8.
Synopſis Proceſſus judiciarii: *ibid.* in 4.
De Ultimis Voluntatibus: *ibid.* 1659. in 4.
Commentar. ad tit. de obligatione Action. *ibid.* in 4.

Diſpu

Digitized by Google

Diſputationes quoque publicè habuit de jure Principum, penes quos eſt Electio Imperatoris Romani: De juſtitia & jure: De Legatis & jure accreſcendi: De Teſtamenti factione activa, ſive de iis, quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum: De Ariſtocratia: De fide civili JCtorum: De tempore legitimo: De fide JCtorum religioſa: De Actionibus: De gradibus eorumque uſibus: De ſolutionibus: De ſervitute præd. urban. & ruſtica: De uſufructu: De officio judicis. De Theſauris: Duodecas Miſcell juris controverſi, de renovatione inveſtituræ aliasque, quas nondum vidimus.

LAUDATIO FUNEBRIS,

MEMORIÆ & HONORI

VIRI

Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi atque Conſultiſſimi

DN. THEODORI Reinking/

Hæreditarii in Wellingsbüttel/ Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Daniæ in Ducatibus Sleſvici & Holſatiæ Conſiliarii & Cancellarii graviſſimi, Supremi Judicii Pinnenbergenſis Præſidis, &c. JCti celeberrimi, Comitis Palatini Cæſarei,

D. 15. Decembr. anni 1664. Glückſtadii piè defuncti,

In ſolenni Panegyri Argentorati habita

à

BALTHASARE ARENDT/

Glückſtadio Holſato, SS. Th. Stud.

MEMORIA REINKINGIANA.

NOn diffiteor, *auditores omnium ordinum Honoratiſſimi*, non, inquam, diffiteor, ſed ſine fuco & apertè aſſevero, ſatius me facturum eſſe, ſi in ampliſſimo hoc conſenſu, ſi in ſolenni tantorum Eruditorum præſentia, ſi in auguſto ſplendidi hujus auditorii Amphitheatro potius tacerem, quam loquerer: magis audirem, quam audirer: aures potius quam linguam præberem.

Quis enim ego, qui dicere audeo? Quinam verò Vos, qui auditores aſſidetis? Juvenis ego, *Illuſtres* vos: Tyro ego, *Magnates* Vos: Infans ego, *Eloquentiſſimi* verò Vos. Annon ergo metus animum meum ſubeat, qui *Sereniſſimum Principem: Illuſtriſſimum Comitem: Perilluſtrem Baronem: illuſtres celeberrimæ Reipublicæ Argentinenſis Proceres & Scholarchas; Magnificum Rectorem; Spectabiles Decanos; Venerandos Theologos; Conſultiſſimos Iurisconſultos; Experientiſſimos Medicos; Excellentiſſimos Philoſophos; Reverendos Paſtores & Diaconos; Clariſſimos Gymnaſii Moderatores; Studiorumque Nobiliſſimorum & multiplici doctrinâ Ornatiſſimorum Coronam, & inter hos omnes Magnos nonnullos doctiſſimi hujus Seculi Suavitate Ciceronem, Gravitate Livium, Brevitate Saluſtium adæquantes*, unò quaſi intuitu video? annon, inquam, metum animum meum ſubeat, qui coram his omnibus verba facere conſtitui? Imò, nonne eundem augeat, ſi perpendo quiſnam ille ſit quo de dicere inſtitui? Non ſanè *Papinianus*: Non *Bartholus*: Non *Baldus*. Quis ergo? Nomen etiamſi nunc in veſtibulo non exprimerem, nemo tamen Veſtrum eſſet, opinor, qui non ſtatim REINKINGIUM ominaretur. Ita: REINKINGIUS eſt: ô quam vellem eſſet, ſed fuit. heu! de quo in tàm *Splendida Corona* dicere conſtitui, REINKINGIUS, *Lumen illud & Decus Iurisconſultorum*; REINKINGIUS, *Lux illa & honos noſtræ Holſatiæ*; REINKINGIUS, *Senex ille canitie & meritis venerandus*. Quis autem Ego, qui hunc ſermone comprehendere audeo? dixi jam: Juvenis, Tyro, Infans.

Sed num ſtatio, quam adii, deſerenda: Num à loco, quem conſcendi, fugiendum? Non ita. Tentandum! aliud quippe ſuadet veſtra erga tyronem dicendi cupidum judicii æquitas & veniæ dandæ promptitudo; aliud imperat *Favor* veſter, quo me hactenus multi Veſtrum abſque ullo merito proſecuti ſunt? multi Veſtrum ſtudium hocce meum approbarunt: Multi Veſtrum idem quod olim in Republi-

Digitized by Google

publica Romana ad rogationes à Conſule ad ſe latas, ſi annueret, populus reſpondebat, ad meam humillimam reſponderunt, petitionem: UTI ROGAS, JUBEMUS! Gratia ergò veſtra uſurus, non nihil de mortuo REINKINGIO, quippe *quem jure omnis plangit Holſatia, quem jure omnes gemunt Gluckſtadienſes*, Ego *Holſatus*, Ego *Gluckſtadienſis*, ut ita abſens *in hâc celeberrimâ Univerſitate* luctum & lachrymas meas pia ac Chriſtiana doloris ſignificatione PATRIÆ declarem, dicere tentabo.

Antequam verò ea quæ conſtitui perſequar, altiusque *honorem & memoriam* REINKINGII repetam, deque ipſius Progenitoribus, Vita & Morte Vobis quædam exponam, à Vobis, *Auditores omnium ordinum Honoratisſimi*, quibus omnibus pro auguſta & honorifica præſentia & ſubjectas & debitas ago gratias, à Vobis inquam, omni reverentia & humilitate peto, me dicentem audire ne dedignemini: Simulque Vos obnixè rogo, ut, quid minus eruditum protulero, id humanitatis ſipario obtegere haud gravate velitis, memores iſtius Poetæ, inter Latinos ferè Principis, dicentis:

Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.

VITÆ REINKINGIANÆ INGRESSUS.

QUod verò, *ut hinc orationis meæ telam ac vela pandam* hoc ipſum præſtare, & REINKINGII *vitæ ingreſſum, progreſſum & egreſſum* in veſtrum omnium præſentia *ſolenniter* recitare audeam, ſunt, me quæ *rationes* movent, non vel nullæ, vel leves atque contemnendæ: quarum *una* eſt non ſolum amicorum conſilium, ſed & ipſius REINKINGII, dum viveret, voluntas; *quorum vel cogitatis non ſatisfacere, mihi religio eſſet*: *in primis* verò varia beneficia, quibus ab initio Parentem meum ſibi devinxit, per quæ & ego poſtea in *tanti Viri* notitiam perveni, adeò ut & mea commoda hactenus ſingulari ſemper ſtudio adjutum iverit, & ſi diutius, quod optarem, vixiſſet, adjutum profectò iviſſet, Proinde, ne in quod ingrati animi vitium incurrerem, *malo* enim *in diſertus & in laudando* REINKINGIO *parum eloquens, quam ingratus exiſtimari*, allaborare, ut videtis, volui, ut meæ erga ipſum jam Defunctum obſervantiæ *publicum* hoc extaret *monumentum*.

Digitized by Google

Triſte ſane *atque peracerbum* hoc eſt officium : morem publicum tamen ſi ſpectes, *ſolenne atque juſtum* : *Triſte* quidem *& peracerbum* mihi, ſi quantum PATRONUM amiſerim, cogito : *Solenne* verò *& juſtum illi*, quia EXCELLENTISSIMÆ DEBETUR VIRTUTI & FAMÆ VIRI CELEBERRIMÆ, CUJUS NOMEN UBIQVE MAGNUM, LAUS AMPLA, PUBLICA CUM HONORE RECORDATIO.

Ut verò modum ſervem, ex infinito laudum cumulo, tantùm ſumma rerum capita decerpam, eaque breviter delibabo : *totum* enim REINKINGIUM *ſatis laudare nequeo*. Quemadmodum enim qui in bivium aliquod incidunt viatores, ſubſiſtunt, dubioque animo deliberant, qua potiſſimum eundem via : tandem ubi diu multumque dubitarunt, regia pergunt, & recta progrediuntur : Ita profecto *in uberrima hac, & prope infinita ad dicendum materia* animus mihi pendet, hæret, & fluctuat, ut undè incipiam, ubi deſinam, quid inprimis dicam, facilè non inveniam.

Principio tamen quos *Beatiſſimus noſter* vitæ ſuæ PROGENITORES habuerit, exponam.

Avum ergò habuit Nobiliſſimum, Ampliſſimum atque Prudentiſſimum JOHANNEM REINKINGIUM, in Emeslando, *ditione Monaſterienſi ad Amaſin fluvium verſus Friſiam ſitâ*, Principis Monaſterienſis Theſaurarium meritiſſimum. Tentabatur iſte varia gloria ac ſpe ab iis, qui illum miſſa ſana doctrina heterodoxiam Papæ recipere cupiebant. Sed ut palam profiteretur, quo animo eſſet erga Pontificiorum doctrinam, officio Splendidiſſimo relicto, *Oſnabrugam* ſeſe contulit : magno ſanè & infracto animo! Gaviſus, & ſibi datum eſſe pro nomine Jeſu Chriſti aliquid pati. Cæterum, qui dixit : *Omnis qui reliquerit* Domum, *vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut* Agros, *propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit* : hanc ei fidem egregie eſt remuneratus. Nam ob ſummam, qua prorſus egregia pollebat, prudentiam, & ob civium commiſerationem brevi Oſnabrugæ in Senatorum ordinem receptus, eoque honore ſumma cum virtutis laude perfunctus eſt, donec tandem immoto conſtantique talo ad ultimum usque vitæ halitum in orthodoxa permanens Religione diem ſuum obiit ſupremum.

Avia fuit Nobiliſſima & Laudatiſſima ANNA à Baſten/ Nobi-

Nobiliſſimi OTTONIS à Baſten/ Principis Monaſterienſis Præfecti Fechtenſis filia dilectiſſima.

His editus eſt Parentibus REINKINGII noſtri Parens, Nobiliſſimus atque Strenuus Dominus OTTO REINKINGIUS, qui in ipſo ætatis flore à Nobiliſſimo, Perſtrenuo OTTONE Teuffeln/ Sereniſſimi Principis GOTHARDI per Curlandiam & Semigalliam Stabuli Præfecto graviſſimo in Curlandiam vocatus, à quo ob vinculum neceſſitatis conjunctiſſimum honorificè ſemper erat tractatus: Tandem hæredibus aliis deficientibus, & omnium bonorum Teuffelianorum legitimus hæres factus, de recipienda in matrimonium uxore cogitare cœpit, & in gratam hæreditatis memoriam ſibi elegit Virginem, non generimodò Nobilitate condecoratam, ſed etiam animi corporisque bonis eximiè florentem, HEDEWIGAM, Generoſi & maximè Strenui Viri, Domini DITERICI à Lamſtorff/ Hæreditarii in Thalſchen/ Curlandorum, & Nobiliſſimæ Matronæ, HEDEWIGÆ à Korffs filiam dilectiſſimam, magni ſui MECOENATIS ex uxoris ſorore Affinem ſuaviſſimam.

Ex hiſce Nobiliſſimis Parentibus ante annos ſeptuaginta quinque, *hoc ipſo Parentationis & exequiarum die, nempe 10. Martii*, hoc eſt, veteri nobiſque adhuc dum uſitato calculo, anno recuperatæ per Chriſtum ſalutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo in Curlandia natus eſt noſter REINKINGIUS, cujus Familiæ origo eſt ex Weſtphalia, *Germaniæ regione, ſive à peregrinando, ſive à pullo equino, inſigni Saxonum vetuſto, denominata*: ubi, ſi antiquitatem ſpectes, multos jam ante annos floruit.

Patria eſt, ut audiviſtis, *Auditores omnium ordinum honoratiſſimi*, Curlandia Regio agrorum fœcunditate, hortorum fertilitate, rerum ad victum & amictum neceſſariarum copiâ, & ſitus commoditate amœniſſima, inprimis verò propter VINDAM, *quæ olim ſummo Teutonici Ordinis capiti ſedem dederat*, celeberrima.

Cæterum hæc Regio *Beato noſtro defuncto* non ſolum vitam hanc temporalem dedit, ſed etiam eidem jura ad cœleſtem contulit patriam, ſacro ſancto Baptiſmate, Regno Chriſti, eundem inſerendo.

THEODORI nomen REINKINGIOLUS noſter tùm accepit, nec hoc ex idololatria aut ſuperſtitione, *ſicut olim factum ejusmodi quid eſſe, & adhuc fieri in Papalibus tenebris*,

ut infantes Sanctorum, (quos, juxta Deum & Chriſtum, res humanas, hominesque ipſos curare putant) favori tutelaque commendent, conſtat. Meliora ſapiunt contrà per divinam gratiam Noſtrates, & ſine ſuperſtitione ſanctorum nomina eligunt, ut in nominibus fidei pietatuque exempla involvant, atque eorundem, vel appellatione commonefaciant. Hac ſine dubio mente THEODORUS noſter à piis Parentibus appellatus eſt; Sed & avum maternum nomine referre debuit. *Nomen Græcum,* ſi latinè vertendum foret, ſonaret DONUM DEI, at donum Dei eum fuiſſe quis eſt qui neſciat? Fuit Parentibus THEODORON; *Liberi enim ſunt donum Dei.* Fuit & Reipublicæ THEODORON: tot enim in Rempublicam ab illo profecta ſunt commoda, ut meritò DONUM DEI vocetur.

Date veniam, Auditores, quod ſic in nomine THEODORI REINKINGII ludo, ac ſi de nomine conjectura valdè firma eſſet, cum illa nihil ſit infirmius. Quis enim *Vrbano inurbanior?* quis Imperatore *Commodo incommodior* fuit? Quicquid ſit de nomine: Annus nativitatis, ut audiviſtis, fuit annus milleſimus, quingenteſimus, nonageſimus: Dies 10. Menſis Martii. Diem & Annum Nativitatis REINKINGII noſtri inſignes reddunt, non ſolum ipſe Beatus noſter tùm natus, ſed & defuncti nonnulli celeberrimi Viri, quo natura quaſi ſarcire voluit, inſignem maximorum virorum jacturam.

Hoc enim anno Theologus inſignis D. JACOBUS ANDREÆ dormienti ſimilis beatam animam expirando DEO reddidit.

Idem annus & fatalis fuit Theologo illi in Germania celeberrimo JOHANNI AVENARIO.

Deceſſit & HIERONYMUS ZANCHIUS, Vir, niſi quod Calvinianæ Scoliodoxiæ addictus fuit cætera doctiſſimus.

Nec non NICODEMUS FRISCHLINUS, Philoſophus & Poëta eximius, qui fuga ſibi cònſulere allaborans miſerè periit.

Idem hic annus inſignibus Juriſconſultis fatalis, *Barnaba* ſcil. *Briſſonio* Conſiliario Regio, & Præſidi Senatus Pariſienſis. *Iacobo Cujacio* Tholoſano. *Franciſco Hodomanno. Adriano Albino*, Electoris Brandeburgici Conſiliario intimo. *Andrea Pauli*, duorum Electorum Conſiliario, magni nominis, Legationibus multis functo.

Hæc

Hæc annum: Diem autem Nativitatis, memorabile reddunt.

HEINRICUS, Imperatoris FRIDERICI II. ex captivitate Bononienſi deſideratiſſimus Filius, Bononiæ ſepultus.

THEODORUS ZWINGERUS, Medicus & Hiſtoricus celeberrimus Baſiliæ *vitæ humanæ Theatrum* relinquens, Et

Hic Argentorati anno milleſimò quingenteſimo decimo JOHANNES GEILER, natus de Käyſersberg in Alſatia, Vir quidem Pontificius, aſt *inſtantis Reformationis Vates certiſſimus*, eodem hoc die fato ſuo functus eſt:

Hoc die veſter JOHANNES MARBACHIUS, Theologus celeberrimus, ô Argentinenſes, *qui tum ab ipſo primo inſtaurandi Evangelii authore eruditus, tùm à primis veſtræ Eccleſiæ Doctoribus inſtitutus fuit*, anno milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo primo, cum vitæ finem ex morbo graviſſimo appropinquare ſentiret, ad ſe omnes veſtræ civitatis Paſtores vocavit, inque eorum omnium præſentia *& religionis & peccatorum Confeſſionem veram & conſtantem recitavit*: in qua & deinde die 17. hujus menſis inter circumſtantium luctum & ploratum mundana hac palæſtra exivit.

Plura diximus, auditores, de REINKINGII *Nobiliſſimis Progenitoribus, Patria, Nomine, Anno & die Natali*, quam veſtra benevolentia admiſſura eſſe videbatur, quare jam, ne eâdem ulterius abutar, ad ea potiſſimum tranſeundum cenſeo, quæ *Defuncti* noſtri ſunt PROPRIA.

VITÆ REINKINGIANÆ PROGRESSUS.

Habet hoc naturæ ordo, *ut à bonis boni, è malis mali generentur*: *Vipera non niſi è Vipera naſcitur, neque è ſquilla roſa.* Ut enim corporis quædam ſimilitudo à majoribus & parentibus: Sic & animi in liberos ac poſteros plerumque propagatur. Præclare Philoſophorum Sapientiſſimus Plato: *Non ſolum præclarus*, inquit, *& magnificus liberorum eſt theſaurus parentum virtus: Sed ineſt quoque in illa vis admirabilis & occulta propagandæ virtutis, atque in ſtirpem derivandæ, eaque tanta, ut qui ab antiquo bonorum ſemine genus ducunt, aut virtute pollere, aut certè virtutum fomitem atque incitabulum inde deducere rectè aſſeverentur.*

Licet verò ex ortu egregio & indole ſpes concipi queat, eam tamen nonnunquam fallere neganti contradicet experientia. Unde Lycurgum, Legislatorem illum præſtan-

tiſſimum, Lacedæmoniis generis ſui ſplendorem & vetuſtatem magnificè jactantibus reſpondiſſe his verbis accepimus: *Nec vobis, ô Cives, genus ab Hercule tractum proderit, niſi omni ſtudio, omni conatu, omnique animi contentione illa ipſa geſſeritis, per quæ ille mortalium omnium celebratiſſimus atque generoſiſſimus evaſit.*

Noſter itaque REINKINGIUS veſtigiis Nobiliſſimorum Parentum inſiſtens, pietatis fuit & virtutis indè ab incunabilis ſtudioſiſſimus.

Quid hic *de* Summa *parentum in noſtro educando*, & ad varias virtutes informando *diligentia* dicam: Hoc dico: prima filioli inſtitutione, ac educatione, *qua fons & radix virtutis, atque vitæ honeſtatis, ſimulque caput eſt eruditionis,* Parentes nihil prius, nihil antiquius habuere.

Sic, Auditores, *natura comparatus eſt homo, ut, quæ cum nutricis lacte ſuxerit,* hoc eſt, ab unguiculis teneris hauſerit, *mordicus quaſi retinere videatur.*

Luculentum perverſitatis hujus noſtræ ſpeculum in vaſis fictilibus atque lanis ante oculos luſtrandum nobis ponitur.

Odor recenti teſtæ infuſus primus diutiſſime remanet: Colores genuino lanarum candori inductos illitosque vix videas elui: Similiter vitia teneris hominum mentibus inſita, vix aliquo modò imminuuntur, nedum radicitus expelluntur, aut evelluntur.

Multum igitur *momenti poſitum eſt in diligenti ætatis primæ educatione*, ut ineuntis ætatis infirmitas corrigatur Parentum atque Sapientiorum doctrina atque conſilio.

Quod ſi quis verbis hiſce meis non fidem habendam crediderit, & aliud à veritate proloqui me judicaverit, in conſilium, oro, adhibeat rationem, defixis in terram oculis, & ſe errare certò inveniet. Ager natura ſterilis, incultus, derelictus, præter vepres & dumeta, nihil de ſe dat fructus: Verum indefeſſo agricolarum labore exercitus & aratro identidem cultus iteratusque tum demum, optimos, cultori ſuo fructus producit.

Parentes REINKINGII, quanta vis educationis, conſuetudinis, ac diſciplinæ ſit, optimè intellexerunt, proinde, ut filioli animo adhuc molli excellentis doctrinæ veræque pietatis fundamenta imprimerentur, operam dederunt ſedulam.

Parens enim cum in *Noſtro* non contemnendas ingenii dotes

dotes cerneret, *literis & Muſarum cultui bono conſilio eum conſecravit*, forte non animo concipiens, *è parvulo ſuo, quem ad ſcholam manu ſua ducebat*, TANTUM EVASURUM VIRUM.

Sed *prima ſtatim ætate experimenta magnorum profectuum* & Parenti & Præceptoribus *dedit*: hinc, ne *dira Peſtis*, quæ tum CURLANDIAM miſerrimè vexabat THEODORON illud, illud DONUM DEI, *ſingularibus donis jam coruſcans*, abſumeret, de conſilio aliorum in tutiorem & ſalubriorem locum transportandum erat.

Miſſus itaque *eſt Noſter* decimo tertio ætatis anno, anno ſcilicet millesimo ſexcenteſimo tertio in Weſtphaliam, Patris, imò totius *Nobiliſſimæ familiæ Reinkingianæ* terram natalem, ibique OSNABRUGÆ *per biennium* id conſequutus, ut de conſilio Præceptorum à Patre ad frequentiorem illam LEMGOVIENSEM Scholam mitteretur. LEMGOVIÆ *intra quadriennium* tam egregia ſpecimina edidit, tantum ingenii acumen, tantam diligentiam omnibus probavit, ut dignus judicaretur & idoneus, qui præſtantiores videret, adiret, & audiret Magiſtros: *non* enim *diutius in clauſtris ſcholarum trivialium detinendus erat*.

Noſter proindè incredibili diſcendi cupiditate accenſus, majorique eruditione animum implere geſtiens, anno milleſimo ſexcenteſimo nono, *relictis ſcholis, ad illuſtre* STADHAGENSE *Gymnaſium*, *à* Sereniſſimo Principe ERNESTO SCHAUVENBURGENSI tum conditum, in quo Viri & doctrina & docendi dexteritate celeberrimi, inque omni diſciplinarum genere periti docebant, *ſe contulit*.

Quia verò fundamenta artium & diſciplinarum Philoſophicarum firmiter jecerat, ad altiora quam feliciſſimè progreſſus eſt, haud ignorans *ad Facultates*, uti vocant, *ſuperiores ſine ingenio artibus & ſcientiis imbuto velle contendere, idem eſſe ac iter longum ſine pera atque pecunia ingredi*.

Ex ſtudiis, cui impoſterum adhæreret. Juridicum *elegit*.

Incidit mihi hic in mentem D. BRENTII reſponſum, quod ab hoc aliquando ſtudioſus quidam, cum conſilium de ineundo ſtudio juridico ipſi explicaſſet, accepit: Deo, ſcil. *in Eccleſia non modò bonis & doctis Theologis, ſed probis quoque Iureconſultis opus fore: atque unum Iureconſultum pium, intelligentem, amantem Religionis ſæpenumero plus prodeſſe poſſe, quam multos inſigniter doctos Theologos*. BRENTII vocem in Noſtro locum inveniſſe, Auditores, infra expoſituri ſumus.

Noſter

Noſter interim non ſegniter, non negligenter, non perverſe, ſed *ad perfectiſſimam Iuris ſcientiam contendens*, quam diligentiſſime illud tractavit.

STADHAGÆ itaque *primò* vaſtum illum *ingreſſus eſt juris oceanum, Inſtitutionibusq́ Iuris* naviculi loco primò *uſus*, adeò, feliciter profectus fuit, ut ſpem minimè falſam conceperit, ſe aliquando ſecundo curſu ad optatum perventurum portum.

Agens enim annum ætatis viceſimum ſecundum, & *vix biennium* in celeberrimo hoc Gymnaſio verſatus, tantos in jure fecit progreſſus, ut illud Gymnaſium, quod tùm optimè erat conſtitutum, capere illum amplius non poſſet: hinc illo *Gymnaſio relicto ad* COLONIENSEM *Academiam conceſſit*.

Feliciter ſtudia hactenus, ut audiviſtis, REINKINGIO noſtro in ſcholis, inque Gymnaſio ſucceſſerunt. Sed quæ ejuſdem vita Academica? Refrixitne in animo diſcendi ardor? Succeſſitne pigritia, otium, luxuria, helluationes? Minimè. Non de illo dici poterat, quod Cardinalis BELLARMINUS olim de ſtudioſis LOVANIENSIBUS ſcripſit: *Quis ignorat*, inquiens, *multos eſſe qui* LOVANIUM *veniunt, ut Doctores fiant in jure & fiunt Doctores in choreis & in gladio? quam multi ſunt, qui cum ad Parentes ſuos redeunt, ſi quæratur ab iis, quid* LOVANII *didiciſtis? reſponſuri ſunt, ſi vera dicere velint; Didicimus diſtricto gladio bellum gerere cum lapidibus: Didicimus vagari per plateas totas noctes: Didicimus multa & nova genera chorearum: Didicimus unò hauſtu bibere medium poculum: Didicimus pecunias noſtras, quæ unum menſem duraturæ erant, una horâ conſumere*: non, inquam, hæc de noſtro dici poterant: Non enim ex talibus erat. *Humiles tales & ſordidas imò infames curas relinquebat perdita turba, & ipſe ſe in alto quaſi religioſoque ſeceſſu tantùm pietatis & ſolidæ doctrinæ ſtudiis adſerebat. Sicuti enim qui emere vult equum aut agellum, quanti æquum eſt, ſi ſani cerebri ſit, emere ſolet, cum mala emptio ſemper ingrata ſit, eò maximè, quod exprobrare ſtultitiam domino videatur; Ita circumſpecti & bonæ ſpei adoleſcentes non in vanitatis artes pretioſiſſimum tempus inſumere debent, ne cum ſtolidis emptoribus perenni cum ludibrio nimis ſerò inæſtimabile damnum tandem animadvertant*.

Hoc *Noſter* obſervavit probè, memori mente perpendens illud *Theophraſti* & *Senecæ*: *Nullam eſſe majorem, gravioremq́ jacturam tempore*. Nam TEM-

TEMPUS, *Virginitas, Vox quæ prolata,* JUVENTUS

Quatuor hæc ſunt, quæ non revocare potes.

Hinc ſtatuit *omne* ſibi *perire tempus, quod non vel legendo, vel ſcribendo, vel auſcultando, vel meditando conſumeretur.* Ita proinde vixit, ut *ſingularis diligentiæ, pietatis modeſtiaque exemplum* eſſet, ſuorumque Præceptorum favorem abunde ſibi conciliaret.

Floruit eò tempore propter doctrinam accuratam, auctoritatem & dignitatem ſummam JURIS-CONSULTISSIMORUM VIRORUM, Facultas Juridica in Illuſtri COLONIENSI Academia. Hinc ibidem Noſter in JURISPRUDENTIA, quippe *in qua vitæ tabernaculum collocare & in cujus quaſi ſinu conquieſcere jam decreverat*, ita deſudavit indefeſſe, ita denique profecit egregiè, ut brevi utrumque jus, Cæſareum & Pontificium diſcendo aſſequeretur.

Æque ineffabili atque incredibili cum profectu Viros clariſſimos de rebus graviſſimis differentes non publicè tantum audivit: ſed & privatim maximi nominis ſcriptores ſummo cum fructu evolvit revolvitque.

Ita ergo *Nobiliſſimo & Saluberrimo* JURISPRUDENTIÆ præſidio ſatis ſuperque inſtructus COLONIAM AGRIPPINAM anno milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, poſtquam *per biennium* ibidem inſigni cum fructu commoratus eſſet, iterum reliquit, & recto itinere LUBECAM ſeſe contulit: indè bono cum DEO navem conſcendens vento ſatis proſpero RIGAM delatus eſt: Riga verò, incolumis patrios repetiit lares, *cum in Germania duo degiſſet luſtra.*

Pater filium ob tam diuturnam abſentiam primo *non agnoſcens*, deinde haud exiguum ſuæ ſenectutis & viduitatis ſolamen ex tam felici illius reditu accepit.

Sed *optimo Patri* nimis breve hoc fuit gaudium: quippe *ſubſequenti ſtatim anno ab eodem & agnatis iterum abiit,* quem infelicis Patris gemitus & flebiles quærelæ, quem agnatorum ululatus & ploratus proſequebantur.

Pius Senex admonitiones, vivendi regulas & benedictiones ſine fletu & udis oculis proferre non poterat, *facilè cogitans, ſibi hiſce in terris hunc filium ulterius videndi haud datum iri facultatem*

VIVE

VIVE DEO: cum SINCERA & DEVOTA ORATIONE, ò FILI, TUA PROSEQVERE STUDIA: ET FELICISSIMUM IN ILLIS HABEBIS SUCCESSUM: FLORE, ò FILI, VALE! *Vltima* erant *verba*, quæ ex *Genitoris* ore noſter acceperat.

Annus verò hujus triſtiſſimi diſceſſus erat annus milleſimus ſexcenteſimus decimus quintus, in quo & REINKINGIUS *ad* GIESSENSEM quam feliciſſimè *Academiam*, ceu ad inſtantis adhuc *fortunæ ſuæ benevolam auſpicem pervenit.*

Hiatum, quem forſitan ſtudia interim paſſa eſſe alicui videri poterant, *quanquam domi, imò & in ipſo itinere à ſtudiis induciæ minimè factæ ſint*, die noctèque concatenatâ diligentiâ compenſavit.

Brevi poſt *ad docendos alios animum adjecit*, omnemque ſuam operam & ingenii vires ad inſtituendos ſtudioſos contulit, *inſtitutiones juris & alias diſciplinas illis privatim explicando*, ita ut ſtatim nominis aliquam celebritatem ſibi compararet.

Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, quotidianis lectionibus & in jure exercitiis privatis confirmatus LICENTIÆ, ut vocant, *in utroque jure honorem petiit.*

Ad illum conſequendum die 7. Martii *absque Præſide inauguralem ſuam defendit diſputationem*, conſcriptam DE BRACHIO SECULARI & ECCLESIASTICO, in ducentas & nonaginta concluſiones diviſam.

Virtus REINKINGII *hactenus incluſa ſemper & quaſi flamma cinere obtecta latuerat*, quoad ei objiceretur materies ſuam vim exerendi. Hæc ubi per modò dictam Diſputationem aderat, ſplendidiſſimo Auditorio reſpondendo eum ſatisfeciſſe, non modò omnes dicebant, ſed & DOCTISSIMUM CANDIDATUM quilibet proclamat. *Antea cognitus erat tantum* Noſter, *cognitus doctus:* poſt hanc verò habitam Diſputationem *cognitus eſt etiam* DOCTISSIMUS, DOCTISSIMORUM EXEMPLAR, & ERUDITIONIS quaſi VERA IDEA: LICENTIATUS *in tantum laudandus, in quantum per clariſſima virtutis documenta jam etiam celebris factus erat.*

Atque ut ſtudioſæ Juridicæ juventuti eruditionem ſuam illuſtrioribus adhuc argumentis probaret, JURA FEUDALIA, *quæ*, judice quodam eruditiſſimo Viro, *Sacri Romani Imperii fulcrum ſunt*, Pandectarum explicationi ſubjuncta illis explicavit. *Ape-*

Digitized by Google

Aperuit & *collegia diſputatoria*: Unum ſuper inſtitutiones, alterum ſuper præcepta politica.

Itaque, cum ſingularibus (quæ in Profeſſore vel præcipuè commendantur,) informandi donis atque facundia polleret, à Sereniſſimo Principe ac Dn. Dn. LUDOVICO Haſſiæ Landgravio &c. eodem anno *ad extraordinariam & publicam juris Profeſſionem in Alma Academia Gieſſena vocatus*, functionis ibi ſuæ partes tam publicè profitendo & diſputando, quam privata exercitia tractando, pro virili perfecit, conſiderans, *munus Profeſſoris eſſe ſumma uti fidelitate, & concredito ſibi in munere vera docere, ſibique certiſſimum perſuaſum habere, ſua cura commiſſam juventutem falſis imbuere opinionibus, aliud haud eſſe, quam Rempublicam lento veneno necare.*

Tùm à quibusdam amicè rogatus, ut in eorum gratiam Juris Publici, hoc eſt, *de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico, ad ſtatum ſacri Imperii Romani modernum*, tractationem ſuſciperet, & in ea de præcipuis juris illius capitibus diſſereret: Id quidem ab initio recuſavit, aſt ulteriore inſtantia motus, eorum petitioni ut annueret, tandem perſpicuè, & eâ qua fieri potuit brevitate illis ſatis fecit, & *ſi una hora, quæ multò tempore legit, in ſuos auditores infundere quaſi potuiſſet, id profectò communicaſſet*: *erat enim in docendo fidelis.*

Hinc Gieſſenſes & Theologi & Politici, cum quibus cum ad hanc celeberrimam Argentinenſem Academiam iter facerem, mihi jucundiſſima conceſſa ſunt colloquia, REINKINGIUM maximis tum adhuc exornabant laudibus: REINKINGIUS, dicentes, *omnia hic feliciter direxit*: REINKINGIUS *plurimis ad omnigenas virtutes laudabili manuductione & exemplo, tanquam fax præluxit*: GIESSA *noſtra hæc recordatur, & quam diu fama* REINKINGII *per orbem volitabit, recordari non deſiſtet.*

Ex animo hæc dicta fuiſſe, Auditores, inde colligo, quia AMPLISSIMUM iſtius loci CONSILIUM ACADEMICUM ſolenni quadam oratione REINKINGII virtutes extollere firmiſſimè decrevit: *Habent enim in more poſitum Academiæ quævis celeberrimæ, eorum ut laudes, quorum celebritate potiſſimum ipſæ inclaruerunt, orationibus ſolennibus proſequantur.* Id quod ſi hodiè hac ipſa hora non efficitur, effectum adhuc brevi dabitur, ſed ore ſtiloque ſane promtiore, pluribus ornamentis, majore felicitate, illuſtriori authoritate, quàm à me: ita ut miſer Davus ego huic operi

operi facilè ſuperſedere potuiſſem, niſi ob maxima MAXIMI HUJUS PATRONI in me meosque uberrimè collata beneficia ad id obſtrictus fuiſſem. Obſtrictus proinde, licet ſimpliciter, attamen fideliter, omnia, quæ percipitis, profero, atque ſic impari ſtilo minora facio. Sed pergo.

Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, eodem adhuc anno, quo ad Profeſſoriam pervenit dignitatem, LICENTIATUS noſter animum ad nuptias adjecit, & *conjugem ſibi aſcivit, Nobilisſimam Virginem* CATHARINAM, *ex Nobiliſſima antiquiſſima & celeberrima* PISTORIORUM *familia oriundam*, rem ita moderante & annuente Viro Magnifico D. GOTHOFREDO ANTHONII, Primario tunc temporis Juris Profeſſore, Principis Haſſiæ Conſiliario & Academiæ Gieſſenſis Cancellario, deſideratæ Virginis Affine Sororio.

Sponſus REINKINGIUS jam antea, ut audiviſtis Licentiati titulum ſummo cum honore ſibi comparaverat. Hinc *uno eodemque die*, qui fuit 3. Octobris anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti. *in Iuridico Collegio omnibus ritè rectèque præſtitis*, (ut teſtimonii publici verba habent) Annulus Doctoris, *& in templo* Annulus Sponſæ *digito applicatus eſt*, quo ceu arrha ei & Juſtitia & Uxor deſpondebatur: Oſcula eo die & à Promotore & à Sponſa fronti ejus infigebantur in pacis, charitatis & amicitiæ ſymbolum. Qua verò ſolennitate, celebritate & pompa ſacrum hoc Doctorale & nuptiale peractum ſit, quis fuerit civium concurſus, quis Studioſorum applauſus, quis Magnorum Virorum congratulantium numerus, quæ Profeſſorum & collegarum vota, quæ comprecationes, quilibet, me tacente, facile conjicere poteſt.

Cum illa verò uxore ſingularis exempli, concordi animo *in matrimonio annos quadraginta ſex vixit*, atque eò felicius, quod fructus conjugii minime fuerit exſors, utriusque ſexus *undecim liberorum* factus Pater.

Si olim fuit honorificum & præclarum tres duntaxat aut quatuor habuiſſe liberos, quanto, obſecro honore, quanta celebratione ac præmium afficiendum illum putatis, qui non tres, aut quatuor liberos, ſed numeroſam admodum prolem, undecim nimirum filios filiasque ad Reipublicæ utilitatem genuit.

Quanta autem auctoritate, quanta ſolicitudine & fide, qua

qua diligentia, qua prudentia, qua gravitate, qua pietate, ſobolem hanc, quantum propter graviſſima officia modò fieri potuit, educaverit, quam jucunde ex ipſorum obedientia & reverentia perſenſerit gaudium, & ſi è contra quid forte admiſſum eſt animadverſione dignum, quam graviſſimè id correxerit, objurgaverit, puniverit, (ſic tamen ut non exueret Parentem, non indueret Tyrannum) teſtes prodeant *illi, qui* REINKINGII *adibus aliquando uſi fuerunt*.

Ex his, de quibus modo mentionem feci liberis, *ſeptem adhuc ſuperſtites* vivunt, *quatuor* ſcilicet *filii & tres filia*.

Filii ſunt: Nobiliſſimus atque Strenuus Dominus OTTO NICOLAUS, Hæreditarius in Wellingsbüttel. Nobiliſſimus atque Strenuus Dn. ERNESTUS, Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Daniæ Tribunus ſive Major ut appellare hodie ſolent pedeſtris. Nobiliſſimus ac Strenuus Dn. GEORGIUS, ejus Regiæ Majeſtatis Signifer equeſtris, & Illuſtriſſimi Comitis Oldenburgenſis Nobilis aulicus, Nobiliſſimus denique atque Præcellens Dn. FRIDERICUS, J. U. Studioſus feliciſſimus, in Inclyta Academia GIESSENA mortem MAGNI PATRIS, ſibi imprimis nimis maturam, deplorans.

Filiæ ſunt: Nobiliſſima Domina SOPHIA ELEONORA, Plurimum Reverendi ac Ampliſſimi Dn BALTASARIS SCHUPPII, Doctoris Theologiæ & quondam HAMBURGENSIS Paſtoris celeberrimi, vidua. Nobiliſſima Dn. ANNA CATHARINA, Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Dn. NICOLAI Meinarth/ Judicii Regii quod eſt GLUCKSTADII Procuratoris Ampliſſimi, ut & Illuſtriſſimi COMITIS CHRISTIANI de Rantzau/ &c. Conſiliarii Graviſſimi, itidem vidua. Et Nobiliſſima Dn. MARIA CATHARINA, Nobiliſſimi, & Conſultiſſimi DN. LUCÆ KOCHII, J. U. Doctoris & ejusdem Regii Judicii Advocati meritiſſimi, uxor ſuaviſſima.

Quibus omnibus cum ſua prole chariſſima *afflictionis hujus ſolamen* à DEO T. O. M. *Salutem conſtantem, valetudinem firmam, vitam longævam, imò omnem animæ & corporis benedictionem* toto ex pectore precor.

Cæterum quantis animi donis Noſter inſtructus fuerit in functionibus ſuis exſequendis teſtimonia nobis ſunt ipſius vocationes.

Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo à Sereniſſimo, neque unquam ſatis laudato Principe ac Domino, Domino LUDOVICO Haſſiæ LANDGRAVIO, Celſitudinis ſuæ Dicaſterio, quod tunc GIESSÆ erat *Adjunctus factus*, & anno ſubſequente *in ordinem Conſiliariorum cooptatus eſt.*

Anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſecundo *obivit* Principis ſui nomine *Legationem ad Conventum Principum Ratisbonenſem* in cauſa Succeſſionis Marpurgenſi: ubi, ob impetratam victoriam, ſingularem nactus eſt famam dexteritatis & fidei.

Anno proximè ſequenti *mittitur* VIENNAM, ubi exoptatiſſimam & totiPatriæ ſalutarem habuit expeditionem.

Anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo quarto, à Sereniſſimo Principe JOHANNE FRIDERICO ARCHIEPISCOPO BREMENSI cum conſenſu Domini ſui Clementiſſimi *Conſiliarii Dignitatem*, ut & ipſi, licet abſens, à Conſiliis eſſet, *accepit*, quam functionem quoque honoratiſſimam usque ad iſtius Archiepiſcopi ex hac vita deceſſum, qui anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quarto factus eſt, cum ſingulari virtute & laude retinuit.

Anno milleſimo ſexcenteſimo viceſimo quinto d. 7. Martii Sereniſſimus Princeps ac Dominus, D. GEORGIUS Haſſiæ LANDGRAVIUS, qui vivo adhuc Patre, multis jam experimentis REINKINGII prudentiam, eloquentiam, fidem & dexteritatem proſpexerat; *ſplendidiſſimum* VICE-CANCELLARIATUS *officium ejus curæ mandavit.*

Biennio poſt *denuo* VIENNAM *ad Imperatorem Legatus miſſus* inſigni cum fide, cura, ſolicitudine & muneri iſti, & ſui Principis voluntati ſatisfecit.

Cæterum hic non oblivione obliterandum eſt, quod tum Inviciſſimus Romanorum Imperator FERDINANDUS II. ob excellentem in hoc Noſtro deprehenſam prudentiam, ob ſummam in cauſis proponendis induſtriam, ob dexteritatem admirabilem, ob fidei integritatem; morum gravitatem animique magnitudinem, munificentiſſimè eum novo dignitatis titulique honore condecoravit, dum *ſponte ſua* REINKINGIUM *in Sacri Palatii Aulæque Cæſareæ & Imperialis Conſiſtorii Comitum* ſplendidiſſimum ordinem adſcivit, eique privilegium & poteſtatem creandi Notarios, faciendique omnia, quæ Inviciſſimi Imperatore

Pala

Palatii Comitibus concedunt, clementiſſimè largitus eſt. Quam minimè ambitam, ſed ſponte oblatam *munificentiam Noſter* quoque ſumma in auguſtiſſimum Cæſarem fidelitate quantus fuit *grato ſemper animo agnovit*.

Ita hæc rara ſingularis & eximia dignitas celebritatem auxit, nomenque ejus illuſtrius reddidit. Vix enim HASSIAM reſalutaverat, cum *munus Cancellarii* à Sereniſſimo Principe AUGUSTO COMITE PALATINO ad Rhenum &c. *ei offerebatur*. *Quod* tamen munus *inſigni modeſtiâ recuſavit*, cum Principum HASSIACORUM ad officia natum & educatum ſe diceret.

Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo à Sereniſſimo Principe Mecklenburgico ADOLPHO FRIDERICO *ad idem Cancellarii munus vocatus eſt*, cujus viri dimiſſionem ipſe ille de rebus ſuis ſolicitus Princeps ad GEORGIUN Haſſiæ Landgravium iter faciens *tandem difficulter impetravit*.

Non poſſum quin hoc loco Prudentiſſimi Principis GEORGII *verba* recitem: qui, cum bene intelligeret; ſalutem Reipublicæ non tam in eo ſitam eſſe, ut Princeps magnis opibus inſtructus ſit, quam ut eos ſecum in puppe habeat, qui rectum clavum tenere ſciant; ad Megapolitanum Ducem ita ſcripſit:

E. Lieb verſichern wir auch / da derſelben wir nicht zu gar ſonderlich freund-vätterlichen Gefallen / aus dero zu ihr tragenden gantz getreuer affection dieſen unſern Rath und Vice Cantzler überlaſſen hätten / daß bey jetzigen Läufften / da ſonderlich dergleichen qualificirte und erfahrne Leute ſchwer zu überkommen / wir lieber eines groſſen und etzlicher 1000. Gülden werth wolten verluſtigt ſeyn worden / wie dann auff dieſe Stunde wir ſeine Perſon / obwolen an verſchiedenen Orten / auch durch Abſchickung eigener Geſandten / wir uns viel darumb beworben / noch nicht wieder zu erſetzen wiſſen.

Audivimus hactenus quantis B. noſter Defunctus beneficiis à Sereniſſimis Principibus ac Haſſiæ Landgraviis affectus fuerit. Jam etiam quanta cum animi recordatione & gratiarum actione ille omnia illa beneficia agnoverit audiamus. Ita verò ille ad Sereniſſ. Principem GEORGIUM: *Si vel ſæpe memorati Celſiſſimi Parentis tui, Domini mihi beneficentiſſimi, cujus memoria in benedictione æterna; vel illa etiam propria clementer & cumulatè in me collata beneficia;*

quæ mihi eterna erunt, intuear, quomodo ſine ſummæ ingratitudinis cenſoria nota, ullam ea de prædicandi occaſionem præterire ſinam? Hærent iſthæc, hærebuntque impreſſa animo, infixa medullis, neque ulla unquam oblivionis nube involventur, donec

Lumine adempto animam moribundo pectore ſolvam.

Mecklenburgicus itaque REINKINGIUS Cancellarius *non minori diligentia & fidelitate ſuo munero functus eſt*, quam olim apud Haſſiæ Landgravium, quippe itinera, legationes perquam multas, difficiles æque ac laborioſas ad præcipuos Imperii Ordines, præſertim ad *celeberrimum* Francofurti anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo quarto habitum *Conventum*, ſuſcepit.

Anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo ſexto, cum terra Megapolitana aſſiduis vexaretut bellis, & Noſter maximis in periculis & inſidiis verſaretur, domo à militibus importunè turbatus BUBECAM, *quam meritò* PATHMUM *ejus vocamus*, conceſſit,

Tantam jam tunc Temporis famæ celebritatem Noſter conſecutus erat, ut etiam Reverendiſſimus atque Sereniſſimus Archi-Epiſcopus Bremenſis, FRIDERICUS, nunc Daniæ Rex Feliciſſimus & Glorioſiſſimus Dominus meus Clementiſſimus REINKINGIUM Suæ Aulæ ſervire clementiſſimè voluerit, quod *ſublime* Noſter, & ut experientia ipſa docuit, *periculoſiſſimum* munus, dimiſſione honorifica à Clementiſſimo Principe Mecklenburgico impetrata, die 25. Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſexti in ſe ſuſcepit.

Auguſtiſſimus ut & Potentiſſimus CHRISTIANUS IV. Incomparabilis quondam Danorum & Norvegorum Rex, videns SereniſſimumFRIDERICUM, Filium ſuum tantum habere Cancellarium, ſuum quoque eſſe tantum Virum voluit. Hinc *in Conſiliariorum ſuorum numerum* cooptatum rebus graviſſimis maximique momenti deliberandis pertractandisque non rarò adhibuit.

Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octavo, cum Sereniſſimus & Religioſiſſimus Archi-Epiſcopus Bremenſis FRIDERICUS, nunc Rex Daniæ Potentiſſimus, verè heroico ſpiritu, omnem laborem & pericula contemnens, Evangelium Auguſtanæ Confeſſionis in Templum Cathedrale Bremenſe (ô Immortale, ô Laude Dignum Factum!) introduceret, REINKINGIUS, quem toties honoris cauſa nomino, authoritate Regia munitus *opus* illud *graviſſimum*

ſumma

Digitized by Google

ſumma cum prudentia (Prudentiam cum dico, non intelligo eam, quam vulgus vocat verſutiam vafriciemque, quæ jam magis proh dolor! quam commodum eſt, in vita paginam utramque facit: Hanc enim Noſter deteſtabatur) ſumma, inquam, cum prudentia *direxit*, & Bremenſium argumenta tam ſolide publicis in ſcriptis refutavit, ut Bremenſes, quid tandem regererent, non invenirent.

Nunc perpendite, Auditores, Annon D. Brentii ſupra recitata verba in noſtro locum invenerint? Nonne Deo in Eccleſia ſua propaganda pio Jureconſulto opus fuit? Nonne pius hic Juriſconſultus magnum quid præſtitit? Sed pergo.

Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo octavo Sereniſſimi ac Potentiſſimi Daniæ & Norvegiæ &c. Regis FRIDERICI III. *Cancellarius per Ducatus Sleſvic. & Holſ. graviſſimus* Noſter factus eſt.

Cumque FRIDERICUS III. eodem anno in Dania in magna Regni Procerum corona Rex Daniæ conſuetis tùm ceremoniis inauguraretur, REINKINGIUS Noſter *Legatis* REGI *de novo gratulantibus* REGIS *nomine reſpondendo gratias egit.*

Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo d. 22. Junii idem Potentiſſimus Danorum Rex B. Noſtro *Directorium ſupremæ Appellationis Iudicii Pinnenberg.* demandavit.

Tanta virtus, tanta animi dona non communem requirebant ſortem. Hinc quinto ab hinc anno d. 11. Junii Ferdinandus III. Imperator ſemper Auguſtus majori quam Pater noſtrum amplexus eſt clementia. Publico ſiquidem diplomate in optima forma, *antiquam, veram, hæreditariam & ad omnes Poſteros tranſeuntem* Nobilitatem illi conceſſit.

Hunc honorem illuſtriorum adhuc reddidit Clementiſſimus Elector Moguntinus REINKINGIO noſtro certam pecuniæ ſummam pro impetrata Nobilitate Imperio alias perſolvendam condonando.

Annon, Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, hic verum fuit Virtutem Nobilitare? *Multi naſcuntur è ſtemmate nobili, ſed ſæpè minus nobiles ſe præſtant*: At Noſter Nobilis ſtemmate non ſolum Curlandus fuit: ſed etiam Virtute ſua obtinuit, ut Nobilitati Imperii Romani adſcriberetur.

Atque hæc Reinkingii noſtri ſunt dignitates & officia, quæ *non ipſi ambienti, ſed ne cogitanti quidem & invito oblata ſunt.*

Gloriantur in Novella quadam Impp. Valentin. & Martianus AA. Lanſii verba refero, *ſe venalem ambitum radicitus*

 ampu-

amputaſſe, & ad res privatas vel publicas ſinceriſſimè gubernandas traxiſſe invitos; adduntque felicem fore Rempublicam, ſi à nolentibus & actus publicos repulſantibus regatur. Vtinam verò hodieque cum in Republica, tum in Eccleſia, hac ubique ſpectaretur felicitas! Sed nobis non licet eſſe tam beatis: cum multis in locis corruptionum venalitatiſque ſordes, & privatæ charitates pravaque gratiæ, etiam ſpretis nec penſiculatis meritorum momentis, prævaleſcant, & indigniſſimis dignitates viliſſimè addicantur: adeo quidem, ut Papa Leo X. quoque Raphaëlem Vrbinatem, pictorem clariſſimum, cujus arte oppido quam delectabatur, creare voluerit Cardinalem: quo hoc honore collato ingentem æris ſummam, quam illi ex pictura debebat, compenſaret.

Hæc de REINKINGIO dici non poſſunt, ille enim dignus licet, tamen non ambivit honores. Præter omnem enim ſpem primo ad munus Profeſſoris Academici obeundum vocatus eſt: ab hoc in Sereniſſimam aulam ad Conſiliarium & Vice Cancellarium agendum: ubi licet magnis precibus ſæpè intercederet, graviſſimas tamen in ſe ſuſcipere coactus eſt Legationes & expeditiones: Cancellariatus denique Provinciam, Comitivam Palatii & Nobilitatem non donis, non pecuniis, ſed virtute, meritiſque ſuis obtinuit. Paucis, reluctans & invitus multa, ſplendidiſſima quidem, aſt periculoſiſſima peregit munera.

Cæterum quod Africanum Scipionem dixiſſe ferunt, *ſe non minus eſſe otioſum, quam cum ſit otioſus, neque minus ſolum quam cum ſit ſolus:* Idem quoque de ſe B. Noſter dicere potuit. Nam ubi ei otium aliquod à publicis contigerat negotiis, domi interim non otioſus ſedit. Teſtimonio ſunt inſignes quos produxit fœtus, quales ſunt:

Tractatus de RETRACTU CONSANGVINITATIS. De quo Nobilis & celeberrimus JCtus HERMANNUS VULTEJUS, Academiæ Marpurgenſis per ſemiſeculum & ultra Anteceſſor Juris Primarius & Procancellarius meritiſſimus in Epiſtola quadam ad Magnificum REINKINGIUM ita ſcribit: *Cuncta in hoc tuo Commentario ordine ſuo legitimè ſunt diſpoſita: nihil hic alienum, nihil quod ad rem pertineat omiſſum, & uno verbo dicam, omnia artificioſa & elegantia, ut vix quidquam in hac, quæ eſt de jure retractus, quæſtione incidere poſſit, cujus tu fontem non aperias, lectorique quem admiſiſti, expectationem deſiderii non expleas.* Et paulo poſt: *Nolim, ut tibi ſoli hunc theſaurum habeas, ſed reclude eum è*

Muſeo

Muſeo tuo, &, qui tibi à multis annis fuit privatus, facito, ut tandem aliquando prodeat in publicum. Da hoc Reipublicæ, de qua, ut feciſti hactenus, ita porrò optimè mereberis, & adde idem NOMINIS TUI IMMORTALITATI. *Sunt ea præclaræ animi tui dotes, ut id poſſis: at quod potes, id velle debes, & debes Deo, Reipublicæ, Aliis, Tibi, præſertim quod in illo dignitatis faſtigio conſtitutus, ut omnium in Te converſi ſint oculi.* Hæc Vultejus.

Quid ANTHONIUS NESENUS, THEODORUS HOPINCK & WILHELMUS ANTHONII JCti tunc temporis celeberrimi de hoc Tractatu ſenſerint, propter temporis brevitatem addere nolo.

Jam TRACTATUS DE REGIMINE SECULARI & ECCLESIASTICO, quam brevem & methodicam juris publici delineationem ac præcipuarum controverſiarum circa hodiernum S. Imperii Romani ſtatum ac gubernationem, tàm ſecularem quam in genere Eccleſiaſticam vertentium reſolutionem ex jure Divino, Canonico, Civili & præſertim aurea Caroli IV. Bulla ac Noviſſimis Imperii Conſtitutionibus depromtam exhibet! *In eo,* ut B. Vultejus loquitur, *ſingularis ſui & ingenii acuminis & judicii acrimoniæ Reipublicæ ſpecimen dedit egregium.*

Hujus Tractatus *Compendium* quoddam & continuationem usque ad præſens tempus in Illuſtriſſimi cujusdam gratiam poſteà Noſter *conſcripſit.* Eſt liber ſuccinctus & lectione multorum dignus: Ex ſingulari favore mihi illum deſcribendum tradidit, quem & ego diligenter in perpetuam iſtius Viri memoriam inter res meas reſervo.

Edidit & ſcriptum aliquod germanicum, inſcriptum die Bibliſche Policey/ quod deſiderio Sereniſſimi Archi-Epiſcopi Bremenſis, nunc Regnorum Daniæ Norrvvegiæ &c. FRIDERICI TERTII Regis Hæredis ſatisfacturus conſcripſit.

Quam inſigne hoc ſit ſcriptum maxima *tam Theologorum quam Politicorum judicia* confirmant. Produceremus judicium Venerandi DANNHAWERI noſtri, Ampliſſimi JOHANNIS MUSÆI, mei quondam Jenæ hoſpitis & Præceptoribus honorandi & Nobiliſſimi BOECLERI, quæ eruditiſſimis ſuis de noſtro diſcurſibus adjungere ſolebant, niſi tempore excluderemur.

REINKINGIANI ingenii quoque excellentiſſimus fœtus eſt Reſponſum Juris quod nuperrimè d.dit in ardua &

& gravi quadam cauſa concernente Proceſſum quendam contra Sagam nulliter inſtitutum & inde exortam diffamationem, ubi quædam de nocturnis ſagarum conventiculis, ſaltationibus, transmutationibus Perſonarum in alia animalia, confeſſionibus, aſſertionibus & denunciationibus exacte examinavit & requiſita totius Proceſſus criminalis propoſuit.

Sed & ſcripta quædam extant Noſtri Theologica, ut

DE ANIMÆ VITA IN MORTE: Item

CYPRIANI TRACTATUS DE PATIENTIA

in germanicum ſermonem verſus.

Quin & extremam agens ſenectutem collegit nonnulla quomodo in fide VIVENDUM, patienter ADVERSUM FERENDUM & BEATE denique MORIENDUM ſit: quæ ad mandatum ejus Parens meus in ordinem digeret, & brevi divulgabit.

Ne vero quis noſtrum Polypragmoſynes accuſet, quaſi alienis ſe immiſcuiſſet negotiis & laboribus. Ea namque edidit, ut oſtenderet, quam ad B. analyſin adſpiraret: quamque pias in corde foveret meditationes: breviter, ut oſtenderet, ſe magnum licet Politicum, non tamen atheum eſſe.

Optimè hinc B MENTZERUS olim ad noſtrum ſcripſit REINKINGIUM: *Rarior hodiè apud pleroſque copula eſt inter civilis ſapientiæ profeſſionem & ſerium in doctrina Chriſtiana zelum, neque deſunt, qui diſpicere ſibi non negant diſtractionem animorum propter Religionis diſparitatem: Tibi autem divini verbi veritas in tanto pretio ſemper fuit: ut nihil ei anteponendum conſtanter etiamnum exiſtimes.*

Conſcripſit & B. Noſter in ſuum uſum APHORISMOS MEDICO-PRACTICOS, in quibus, quomodo Diæta ſit obſervanda diligenter docet.

Scriptis hiſce publicis meritò adjungenda ſunt, quæ *in privatis* B. Noſtri *ſcriniis* adhuc ſervantur, quæ ut tandem aliquando etiam prælo ſubjiciantur, multi, quibus ingenium Reinkingianum notum fuit, animitus precantur.

Ex his jam facile colligere licet quam piè Noſter in vita vixerit privata.

Machiavellus (quem Noſter non magnis extollit laudibus) Politicum Juris & Legum Scientiâ, vafritiâ, aſtutiâ, & ſimilibus inſtructum requirit: Sed ex verò Chriſtiano homine ſi quæras, quæ in Politico & Jureconſulto virtus

prima

prima ſit? Pietatem reſpondebit. Quæ ſecunda? Pietatem reſpondebit. Quæ tertia? iterum Pietatem reſpondebit. *Ille* enim *apud Deum eſt potior, non quem Nobilitas generis, nec dignitas ſeculi, ſed quem Pietas & ſancta vita commendat.*

Pietas enim eſt illa virtus, quam DEUS ut aliis hominibus, ita & Politicis imperat.

Pietas eſt illa virtus, quæ illis apud Reges & Principes benevolentiam & favorem conciliat.

Pietas eſt illa virtus, quæ in ſummis dignitatis gradibus illos collocat & tuetur.

Pietas eſt illa virtus, quæ facit ut Deum ſuarum actionum cogitationumque judicem & ſpectatorem eſſe cogitent, ut nihil contra DEI præcepta impiè incipiant, ut nihil contra leges aſtutia moliantur.

Proinde, Auditores, Pietatem Politici noſtri ubi produxero, virtutum omnium chorum produxiſſe videbor. Pietas enim ſeu lucidiſſimum quoddam ſidus inter omnes virtutes maximè elucet. Quod Ariſtoteles dixit de Prudentia, *illam nimirum quaſi animam eſſe omnium virtutum*, id majori jure de Pietate effari poſſumus. Fucata ſunt omnia ubi Pietas exulat: Vana ſunt omnia, ubi eadem extorris agitur: Vileſcunt omnia ubi inſignis hæc virtus non obtinet primas? Pietas eruditionem præcedat, comitetur & ſequatur: Pietas eſt pulcerrimum Epitaphium hominis Chriſtiani.

Experimenta autem REINKINGIANÆ pietatis ſunt *quotidianæ preces ardentiſſimæ*, quas ille non ſolum pro Clementiſſimo REGE, pro dilectiſſima uxore, pro liberis dulciſſimis, ſed etiam pro omnibus in univerſum hominibus ſumma ſedulitate fudit;

Crebræ item & *quotidianæ librorum ſacrorum lectiones* meditationes & evolutiones.

Item *diligentes* & cum attentione vera conjunctæ *Templorum viſitationes*,

Creber & quidem *devotus Euchariſtiæ* uſus;

De eadem teſtantur *Præcones & miniſtri verbi*, quos non ſolum benignè ſemper ſalutavit, comiter appellavit & debito in honore habuit: verum etiam ſæpiſſimè menſæ ſuæ adhibuit.

Teſtantur *ſermones de rebus ſacris*, imprimis de Chriſto, cujus ſolidam & piam cognitionem ita hauſerat, ut de quibusvis etiam articulis Fidei accuratam inter diſputandum rationem cuivis poſcenti reddere potuerit.

Digitized by Google

Teſtantur *omnes pauperes & egeni*, in quos quam ſeſe exhibuit liberalem & munificum: quam ad inopiam illorum ſublevandam promptum & alacrem: *adeò ut eorundem ne quidem in extremo agone quiverit oblivisci.* Si quidem ut nunquam non egenis magnificè ſua liberalitate ſubvenit, ſic paulo ante mortem Quadraginta ex pauperibus, funus ipſius concomitantibus Centum Imperiales legavit.

Ut vir bonus illud SCHNEIDEWINI ſemper apud ſe magni fecit: POLITICUS HABEAT & SCIENTIAM, ALIAS INEPTUS: & CONSCIENTIAM, ALIAS DIABOLICUS.

Iuſtitiam ita adminiſtravit, ut ſemper ſupremi Judicii memor eſſet, conſiderans illud Veterum: *Cogitate, ô judices, quotquot eſtis: quid in judicio ſupremo dicere poteſtis: Quo nec locus Codicis nec Digeſtis: Idem erit Dominus, actor & teſtis.*

Inſignem habuit Fidem, Fiduciam, Spem, lætam Conſcientiam, gratam animam pro beneficiis Erga Deum.

Quo animo verò fuerit Erga Proximum oſtendunt Dilectio, Charitas, Gratitudo. Liberalitas, Humilitas, Humanitas, Comitas, Sinceritas, Fidelitas, Veritas, Juſtitia, Æquitas, Candor, injuriarum Oblivio & quæ ſimilia.

Erga Seipſum denique temperans, omnium vanitatum mundi contemptor, ſobrius, non elatus &c.

Hæ enumeratæ virtutes inſigne perhibent teſtimonium veræ & minimè fucatæ Pietatis Reinkingianæ, ita ut Pietatem REINKINGII meritò deprædicem, & REINKINGIUM fuiſſe Politicum Pium exclamem.

Rem veram dico, Auditores, cujus non paucos Veſtrum, quos in Auguſto hoc Conſenſu præſentes video, ſed etiam ingentem aliorum Clariſſimorum Virorum numerum conſentientes habeo.

Pietas itaque REINKINGII has omnes genuit virtutes, quas ſingulas enumeraſſe ſat eſt, cum illas prolixius deducere præſentis inſtituti ratio non permittat, Paucis dico:

In ſe REINKINGIUS *virtutes continet omnes.*

Cæterum, Auditores, quanto Noſter animo fuerit, ex hoc optime poteritis cognoſcere. Si alii tantum honoris faſtigium conſcendere licuiſſet, non ſatis ſuis compos amplius manſiſſet: At Noſter ut vanum illud riſit.

Ab ineunte ætate ſibi curæ fuiſſe ipſe dicit (ſicut Parens meus in ejus ſcriniis ſcriptum invenit) ut ſolidam acquireret

Digitized by Google

geret eruditionem : eamque divina gratia in tantum hauſiſſe, ut Profeſſoris, Conſiliarii & Cancellarii munus obeundum ſibi demandaretur : Sed mature ſe Vanitatem his rebus ineſſe deprehendiſſe, nihilque perpetui inveniſſe præter Chriſtum Crucifixum.

Item ſe operam dediſſe, ut meritis & laboribus Magnatum ſibi conciliaret gratiam, eamque obtinuiſſe : ſed obſervaſſe tandem Vanitatem ejus, cum partim variaret, partim non impetrari poſſet. Contra verò Gratiam Dei omnibus patere, ſed pauciſſimos quosque illam magnifacere.

Gratia Magnatum ita comparata, ſeſe felicem prædicaſſe, ſi eruditos alios poſſet promovere, eandemque & illis acquirere, quod hac ratione amicos ſibi hominum animos reddere ſperaret. Sed & hoc Vanum fuiſſe : Plurimas enim ſæpè numero calamitates accipere homines ab illis, quos beneficiis affecerunt.

Divitias ſe nunquam deſideraſſe, ut verè Vanas, tandemque mundo iterum relinquendas.

Contra verò ſe Deum timuiſſe, Regem Dominosque ſuos coluiſſe, fidelemque ſe illis in ſuis negotiis ſtitiſſe.

Cum itaque cum Salomone Omnia Vana offendiſſet, illis relictis Surſum Cor ſuum ſuſtuliſſe, terrenis relictis cœleſtia appetiiſſe, & Mammone ſpreto Chriſtum quæſiviſſe, in ejusque ſchola Artem Orandi, Moriendi & Patiendi didiciſſe.

Cæterum dicat quiſpiam, quid ? Fuitne REINKINGIUS tuus ex puris putis virtutibus conflatus atque compoſitus ? Nullusne in eo deprehenſus fuit nævus ? Nullane animi labes aut macula ? Ergone falſum per te illud tritum Catonis : *Nemo ſine crimine vivit ?*

Non hæc à Vobis, Auditores, ita intelligi velim, *quaſi è piè defuncto planè facere aut fingere velim Numen aliquod, aut è beatis celitibus quemquam.* Non ita : Non ſum adulator.

Fateor equidem eos, quos Dominus publicis negotiis præfectos voluit, habere & ſuos affectus & nævulos : interdùm etiam graviores (quod tamen de noſtro dici nequit) quam eorum ſunt, qui privatam vitam in ocio agunt. Sunt enim homines : & in ſolum Deum cadit perfectio.

Hinc cum omnibus etiam Noſtro dicendum fuit : *Credo remiſſionem peccatorum* : Cum omnibus & Noſtro orandum fuit : *Remitte mihi debita mea.* Habuit enim & ſuos affectus & nævulos. Facilè verò hos ei ignoſcamus, *cum nemi-*

Digitized by Google

neminem ſine crimine vivere & ſapientiſſimos homines eſſe lapſos videamus.

Facilè omnes evaneſcunt, & in hominum cordatæ æquitatis oculis diſcutiuntur ſi virtutum, quibus conſpicuus fuit, radiis exponantur.

Nubecula, inquit B. Theologus Joh. Schmidius, *quæ in æthere Soli conſpicitur non ſtatim ſerenitatis laudem diei aufert. Sic exiguæ actionum maculæ, quæ excellentibus adhærent animis neququam honeſtatis & virtutum decus violant.*

Noſter homo fuit, ex Adamo natus fuit, Peccator fuit.

Verum enim verò ut terræ fœtus aliquando copioſe proveniunt, aliquando maligne: Et in animantibus aliquando ſterilitas eſt: Et in mari aliquando tempeſtas, aliquando tranquillitas: Sic quoque in REINKINGII vita varii fortunæ fuêre caſus: & ſummæ ipſius dignitates & felicitates variis malis conflictatæ ſunt, adeò *ut à calamitatibus liber* Noſter *non fuerit.*

Primis ſiquidem *infantiæ ſtatim annis ſæva mors ipſi matrem vix agnitam eripuit*, cujus lugubrem deceſſum, ut fieri à tenellulis ſolet, ille ludendo quidem tum proſecutus eſt. Sed ô me miſerum, me infelicem, qui in hoc exilio parvulus relictus materno ſpoliatus ſum præſidio, ah! ubi nam eſt optima, ubi nam eſt deſideratiſſima mea mater? mortua, heu mortua! ô mortem mihi nimis maturam! ô vulnus acerbum! ô caſum luctuoſiſſimum? cum ad plures poſtea perveniret annos Noſter gemebundus clamitabat.

Si primi infantiæ anni B. Noſtro tam luctuoſi jam extiterunt, quot & quanta putatis illum per omnem ætatem perpeſſum eſſe mala.

Ex Amphora primum quod eſt puriſſimum effluit, ad ultimum fæces remanent. Sic in vita noſtra, quod optimum, in prima eſt ætate, Si itaque hoc REINKINGIO in primis annis accidit, quam gravia, quamque turbida, Auditores, ſubſecuta eſſe putatis, Ex multis pauca tantum adduco.

Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto *cum in* terra Mecklenburgica, *omnia bellis arderent, vix hora læta gaviſus eſt una.* Non enim ſolum præſens bellum, ſed ipſe metus quoque afferre ſolet calamitatem. Etiamſi enim irruptio adhuc nulla facta eſſet, tamen omnia fuerant relinquenda. Omnia ſunt mala in bellis: ſed ſanè nil pejus, quam ſi quis captivus in hoſtium manus pervenit.

Hunc

Digitized by Google

Hunc belli furorem & Noſter expertus eſt. Siquidem inter armorum ſtrepitum, ubi Legum voces non poterant exaudiri, neſcio qua de cauſa *non abſq; omni diſcrimine* Wiſmariam *ductus eſt* : Iterumque *ſucceſſu temporis ſuis reſtitutus*. Cum ex voluntate Sereniſſimi EPISCOPI BREMENSIS, Cancellariatus Bremenſis munus in ſe ſuſcepiſſet, evitata Charybdi in Scyllam incidit, & dum effugit grave malum, aliud, idque gravius experiri coactus eſt.

Cum enim anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto Sueci Archiepiſcopatum ſubitò invaſiſſent, & Könıgsmarckius Stadium occupaſſet, Noſter iterum in poteſtatem hoſtium pervenit. *Deductis militari furore Neoburgum in captivitatem, per ſex ferme menſes miſerrime, ut fieri ſolet, ab hoſtibus tractatus fuit*. Sed *ſi egregium eſt*, inquit Valerius Maximus, *hoſtem dejicere, non minus tamen laudabile Infelicis miſereri, quia ſicut infinitam gloriam bellica virtus : ita præcipuum amorem clementia meretur*.

Hodie adhuc ingemiſcunt *magni nominis ſummaque eruditionis, atque prudentiæ viri*, quando hæc audiunt : Collachrymantur ſi in memoriam hunc acerbum caſum revocant *Præſtantes uſu, atque experientia* Friderici Noſtri *Conſiliarii* : Non ſine recrudeſcente dolore animo hæc recolunt *Nobiles illi, atque Aulici, qui in magno Dignitatis conſtituti faſtigio vel fuga ſibi conſulere vel captivitatis miſeriam cum Noſtro pati coacti ſunt*. Aſt infandum nolo renovare dolorem !

Hic verò *inſigne fidei* REINKINGIANÆ erga Regem ſuum extitit *experimentum*.

Hoſtes libertate, pecunia, muneribus & neſcio quibus aliis B. Noſtrum, ut relicto Principe ad ſe tranſiret, tentabant : aſt illum hoſtis quidem *oppugnare*, minime verò *expugnare*, potuit. *Corpus* quidem erat in poteſtate hoſtium, ſed *animus* Principi ſuo conſtantiſſimè adhærebat. *Malo*, dixit, *captivus in ſqualore & mærore vitam agere, & varia moleſtiarum & miſeriarum genera ſuſtinere, quam fidem* DEO *& Principi meo datam frangere*. EN FIDEM ALBO CORVO VERE RARIOREM.

Cæterum hic non finis calamitatum erat. Publicis quippe his calamitatibus mala etiam acceſſerunt privata, *mors* nimirum *trium dilectiſſimorum liberorum* primis ſtatim infantiæ annis defunctorum :

Filiæ itidem Hedevvigæ ante ſex annos anno ætatis decimo octavo mortuæ. Quorum natorum mortem noſter

magno

Digitized by Google

magno tulit *animo*: Nec, ut CICERO olim, qui filiæ ſuæ mortem plusquam muliebriter luxit.

Dolorem hunc auxit *deſideratiſſimæ Conjugis*; *duorumque generorum*, uno tempore anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo defunctorum.

Quam forti verò & infracto animo vulnus hoc pertulerit argumenta ſunt nobis ipſa B Noſtri verba: *In hoc*, inquientis, *luctu oculi ad Deum flectendi, unicum exulcerati cordis perfugium, & ab illo in hoc mœroris deliquio robur nobis ſumendum eſt. Abiit hæc mea vita ſocia annis plena, plena honoribus, ut quæ annum ſextum & ſexageſimum jam exceſſerat in altiſſima tranquillitate, parique veneratione. Solâ benignitate Dei paternâ factum, quod dulciſſimo hujus conſortio tam diu & præter communem morem, ſcil. ultra ſex & quadraginta annos potitus ſui. Placidè jam obdormivit, non luctata diu cum morte, non nec doluit diu nec gemuit, ſed tota in ſpe victoriæ, velut ſine ſenſu mali alicujus hinc abiit: Idque ſolo DEI nutu, ut qui jus ſuum tenet non minus in adimendo, quam in dando: chariſſima è miſera peccati ſervitute jam aſſerta eſt juſtis vindiciis in libertatem filiorum Dei, ubi jam per roſas, per flores, per gemmas incedit, nec amplius per gemitus & dolores, quibus noſtros elidimus annos &c. Coſta mihi vivo evulſa eſt, dolet: Sed Deo ſic placuit, qui eam voluit ad ſe traduci ex turbido hoc vitæ oceano in portum cœleſtem; ubi æternitate jam fruitur: Ego brevi ſum abiturus ad ipſam, at ipſa non reverſura eſt ad me. Hac ſpe æternitatis me erigo: Hujus æterni gloriæ ponderis nunquam obliviſcar. Hoc etiam concionis funebris argumentum eſſe volo, hunc textum: Momentanea levitas afflictionis noſtræ excellenter æternum pondus gloriæ conficit nobis, dum non ſpectamus ea, quæ cernuntur, ſed quæ non cernuntur: Nam quæ cernuntur temporanea ſunt; aſt quæ non cernuntur, æterna.*

Hic cognoſcite, Auditores, quam arcta fuerit conjugalis hæc ſocietas, quanto amore mutuo erga ſe hi conjuges flagraverint, & quanto dolore à ſe invicem divulſi fuerint.

Amor eſt affectus unionis, illudque quod ſibi gratum eſt, attrahere ſibique quaſi unire conatur. Hoc præſente acquieſcit: Eodem verò abſente quieſcere neſcit.

Sed quamvis pertriſtis noſter viduus tam acerbo vulnere accepto, orbati turturis inſtar, reliquum vitæ tempus ſolus agere conſtituiſſet, nihilominus tamen publico & domeſtico oneri ferendo imparem ſe videns; adjutricem, cui partem oneris imponeret, circumſpicere fuit coactus.

Pro-

Digitized by Google

Propterea conſenſu Potentiſſimi Regis *ad ſecundas tranſiit Nuptias*, Nobiliſſimam Matronam DOROTHEAM Biethen Nobiliſſimi atque Magnifici JOHANNIS Biethen/ Sereniſſimi Principis Holſatiæ per Dithmarſiam Præfecti viduam relictam, Matronam ſummis virtutibus, imprimis pietate in Deum, & rei familiaris cura induſtriaque & magna gubernandæ domus intelligentia maximè conſpicuam, anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, d. 25. Februarii in matrimonium ducendo: Quacum & usque ad vitæ exitum conjunctiſſimè vixit.

VITÆ REINKINGIANÆ EGRESSUS.

Suave quidem, & ad votum; ſed minus diuturnum fuit hoc conjugium, utpote morte viri optimi ruptum. De qua etiam vos noſſe veſtra intereſt, Auditores: non enim quomodo quis vixerit, aut quibus virtutibus præditus fuerit, tantùm refert ſcire, ſed etiam qualiter ex hac vita diſceſſerit, noſtrum intereſt cognoſcere.

Quòd morieris, inquit Auguſtinus, *certum eſt, aſt incertum eſt, ubi & quomodo; quia igitur mors ubique te exſpectat, & tu, ſi ſapis, ubique eam exſpectes.*

Sibi peculiari ratione hoc dictum eſſe Noſter ſemper exiſtimavit. Hinc mortalitatis ſuæ nunquam non recordari, mortemque omnibus horis exſpectare ſolebat. Manè certè ſurgens, ultimum hunc ſibi diem fore cogitabat: Veſperi ſimiliter cubitum iturus, ultimam hanc in terris ſibi noctem fore credebat.

De creſcentibus corporis viribus, quas ſumma ſenectus quotidiè depaſcebat, REINKINGII Noſtri corporis conſtitutio ante aliquos jam annos cœpit vitioſum contrahere habitum, adeò ut omnes thoracis partes ægre munus ſuum obierint. Inde languor, reſpirationis difficultas, vigiliæ, laſſitudo, macies aliaque infinita mala ſunt ſecuta, quæ tandem quum ad ultimum magis magisve ingraveſcerent, & ſolertiſſimorum etiam Medicorum artem experientiamque eluderent, jam diu deſideratam analyſin adeſſe ſatis noſtro indicabant. Quare venientem mortem, ut hilaris recipere poſſet, *peccata* ſua, ut ſemper ita præſertim tum, magna humilitate *confeſſus* & ad fidei confirmationem *S. Cœna Domini devotè & reverenter uſus eſt.*

Dies

Digitized by Google

Dies erat undecimus Decembris elapſi proxime anni, cum Noſter adhuc cum Parente meo, ut Confeſſionario ſuo pro more *ſermones fortis conſtantiæ, Chriſtianæ patientiæ & religioſæ pietatis plenos*, qui infixi Parentis animo adhuc hærent, ſemperque hærebunt, nondum tamen lecto affixus ſereret.

Inter alia dixit: *Ah ſalutare tuum*, ô Domine *exſpecto! Vanitates mundi non curo, ad æternam aſpiro felicitatem.*

Sic quotidiana quadam Senex Noſter, eaque pia conſideratione & vitam humanam & vitam æternam ſibi ob oculos ponebat: Humanam rejiciebat, æternam amplectebatur: & ità mentem à terrenis ad cœleſtia, à viſibilibus ad inviſibilia, à fluxis ad fixa, à momentaneis ad æterna planè convertebat.

Die ſubſequenti circa veſperam *majorem virium infirmitatem ſentiens cubitum ire coactus fuit*, familiari morbo, pectoris nimirum anguſtia urgente, cui dolores in latere compunctorii accedebant.

Poſtero die, cum ultimam vitæ horam acceſſuram ſentiret, animum ad ultimum cum morte conflictum piis ſermonibus & precibus eò diligentius muniendum ſibi duxit, quo magis referret, quomodo manum cum hoſte maxime terribili confereret.

Non tamen adventantem mortem formidabat, (timere enim mortem eorum eſt, qui à Chriſto alieni ſunt: Verè ſiquidem digni ſunt luctu, qui mortem timent, & perhorreſcunt, reſurrectionem quippe non credunt: qui autem mortem non timent, extra tyrannidem Diaboli ſunt conſtituti.) Sed dilectiſſimum ſuum confeſſionarium vocari jubebat, qui cum adveniret, *publicè inſequenti die in Eccleſia ut tranquillum & beatum ſibi fatum contingeret, Deum invocari volebat*, addens, *ſe iram Domini portaturum eſſe, quia ei peccaſſet.*

Ad quæ Confeſſionarius, Oratio publica, inquit, craſtino die volente DEO fiet, ſed quod dixiſti: Iram Domini portabo, quoniam ei peccavi, Benè eſt: Aſt credentium mortem, inter quos & tu es, non ut ſignum iræ, ſed ut ſignum gratiæ conſideres velim: adjecitque multa ad conſolandum ægrotum ex ſacris literis de patientia in ferenda cruce, & afflictionibus, de remiſſione peccatorum, de fide in Chriſtum, de reſurrectione corporum noſtrorum, de vita æterna & ſimilibus aliis.

Hæc

Digitized by Google

Hæc REINKINGIUS chriſtianè & piè excipiens reſpondebat: *ab ineunte ætate ſe didiciſſe benè beateque & vivere & mori: Iſta omnia, quæ ſibi modo ex verbo DEI in mentem eſſent revocata non ſolum probe ſe tenere, ſed etiam firma fide, usque dum hiſce terrarum ſyrtibus feliciter enavigatis, ad vitam bonam, vitam ſecuram, vitam tranquillam pervenerit, amplexurum eſſe.*

Omnia hinc mundana B. Noſtro ſordebant præ illa immortalitatis corona, quam ſibi in cœlis repoſitam, pia conſtantia & conſtanti pietate credebat.

Die ſequenti, cum Parens meus iterum ad B. Noſtrum acceſſiſſet: *Viliſſimum ſe hominem & miſerrimum peccatorem fateri non dubitavit*, ſimulque argumentum concionis in funere ſuo habendæ ex capite 2. verſ. 17. Marci deſignavit, quo dicto, ex media ſcriptura cœleſti, & ex veris fontibus Iſraelis petito ſeſe inſigniter in medio mortis agone recreavit & confirmavit. *Quin & minimè me Iuſtum deprædicete*, inquit, *ſed miſerrimum peccatorem. Peccatorum enim meorum ſordes & atrocitatem apertè hiſce agnoſco: Pudet me vitæ, ut præ verecundia oculos ad cœlum vix vix attollere audeam. Me hærentem has inter anguſtias paterna ac divina ſolummodò bonitas recreat, quod Deus non velit mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat:* Dulciſſimus enim Meus Jeſus ſecundum textum à me præſcriptum Venit, ut Vocaret Peccatores: At Ego ſum Peccator. E. ut & me vocaret, venit. O aurea & plus quam aurea verba! O magnam fiduciam!

Itaque finem ſibi adeſſe animadvertens, poſtquam domui ſuæ optimè omnia diſponendo proſpexerat, & ultimum Vale uxori, liberis & aliis adſtantibus dixerat, ſolo Chriſti merito nixus in lectulo erectus ſedens, vultu planè immutato placidiſſimè & ſine ulla doloris ſignificatione, *cum annis ſeptuaginta quatuor, menſibus novem diebus quinque vixiſſet*, 15. Decembris mortuus eſt. Ah utinam hoc ultimum verbum non mihi dicendum fuiſſet! Qua ex re licet horreat mihi animus, hæreat ferè lingua, vox deficiat, magno tamen inde ſolatio iterum erigor, quod *in chariſſimæ conjugis, liberorum & Nepotum complexu, æterno Numini Spiritum, à quo acceperat, illum reddidiſſe*, certò ſcio.

Sic, Auditores, ille

- - - quem *plurimi* docti
Theologi. Juris Conſulti, Philoſophique
mirantur, deſiit.

Sed deſiit eheu! Prolapſum eſt fulcrum patriæ meæ. Si enim jacturam patria mea ab eo tempore; quo REX DANIÆ Potentiſſimus CHRISTIANUS IV. Civitatem illam de novo exſtruxit, unquam fecit, eam certò jam feciſſe exiſtimo. *Inſignis enim omnino jactura eſt, rebusque publicis valdè periculoſa, hujus Viri obitus.* & eo periculoſior, quo periculoſiora tempora ventura eſſe Cometes tum temporis viſus prædixit. O infauſtus & lugubris Menſis December, qui nobis & nobiſcum plurimis juſta lugendi plangendique partes impoſuiſti.

Glückſtadium; *ubi nunc fortiſſima tua propugnacula? Vbi nunc fauſtum nominis tui auſpicium? Vbi nunc privilegia tua præ aliis omnibus civitatibus* HOLSATIÆ *noſtra tibi conceſſa* Fulcrum tuum prolapſum, Columna tua ſucciſa eſt! O fatum triſte & acerbum! O fatum ominoſum! O certiſſimum malorum impendentium majorum præſagium!

Ah! dum adhuc flemus Illuſtriſſimum CHRISTIANUM COMITEM de Rantzau/ Magnificum & Nobiliſſimum JACOBUM STEINMANNUM, & Magnificum, Ampliſſimumque REICHIUM, atque *adhuc ſepulchralis focus ubique fumat*, Te, quoque, ô REINKINGI, mors fera ferit. & ſub ſua rapit jura.

Mortuus hic eſt REINKINGIUS, at vivit in cœlis.

Hic omnia lugent. Lamentatur *Nobiliſſima Conjux*, contriſtantur *filii & filia*, ſqualent *nepotes*, flent *affines & cognati*, mœrent *Magnifici Collegæ*, gemit Glückſtadium; affligitur tota HOLSATIA, ipſe denique Sereniſſimus Rex noſter FRIDERICUS III. in mœrore verſatur.

Hic, inquam, omnia lugent, ſed modus in luctu habeatur.

Sciant ſuperſtites *ſuum* REINKINGIUM *beate in cœlis vivere, ereptumque eſſe omnibus venturis calamitatibus.*

Scito Glückſtadium meum dilectiſſimum! HOLSATIA mea Patria optima, quod DEO & Rege ſic moderante piè defuncto Cancellario Magnificus HELMIUS ſuccedat, HELMIUS, inquam, HELMIUS, *qui non tantum omni virtutis laude, ſed & rerum experientia ſatis inſtructus,* factam jacturam egregiè penſat.

Faxit DEUS T.O.M. ut HELMIUS NOSTER, & & qui eum dedit SERENISSIMUS & POTENTISSIMUS REX NOSTER FRIDERICUS ſint incolumes & florentes.

FRIDE-

Fridericique Noſtri Nomini hoc candidum omen addatur, ut quemadmodum olim ante hos quadraginta ſex annos Potentiſſimus CHRISTIANUS IV. fuit Glückſtadii noſtri felix Fundator & Conditor; ita nunc FRIDERICUS III. ejusdem maneat Glorioſiſſimus Inſtaurator Propagatorque. Maneat in illo ut aliorum, ita in primis etiam Familiæ REINKINGIANÆ CLEMENTISSIMUS DEFENSOR.

Cæterum REINKINGII funus ipſo hoc die ſolenniter Glückſtadii celebratur: quibus exequiis, qua Magnorum virorum frequentia, quo civium luctu ac dolore, quilibet facile conjicere poteſt.

Inde cadaver RELLINGAN, quod oppidulum non procul à Percelebri HAMBURGO eſt ſitum, ibi enim ſepulchrum ſibi Beatiſſimus jam dudum extruxit, ad uxorem deducetur.

Quieſce ibi corpus defunctum in gremio matris. Quieſce virtus REINKINGIANA, in memoriam Poſterorum, ab omni inſultu tuta, neque unquam ad ultimos ſæculorum omnium terminos intermoritura. Beatiſſimè vixiſti, Beatiſſimè obiiſti, Beatiſſimam Reſurrectionem expecta.

Nos interim REINKINGIUM, quo modo poſſumus, veneramur: & illi, ſi licet, hoc Epitaphium exſtruimus.

VIATOR QVISQVIS SISTE GRADVM, & QVOD SCRIPTVM EST LEGE.

QVID AGAM, REQVIRIS? TABESCO, SCIRE QVIS SIM, CUPIS? FUI, FUI THEODORUS REINKINGIUS, JURIUM PATER, PROFESSOR, CONSILIARIUS, CANCELLARIUS, VITÆ QVÆ FUERINT CONDIMENTA, ROGAS? LABOR, DOLOR, ÆGRITUDO, LUCTUS, JUGUM FERRE CAPTIVITATIS, QVOS CAROS HABEAS SEPELIRE, ET PATRIÆ VIDERE EXCIDIUM.

HOC VOLEBAM, VIATOR, NESCIUS NE ESSES, QVÆ LEGISTI, PENSITA.
VALE.

Sed, Auditores, conſumpto, veterum in funeribus, cadavere, collectisque cineribus: noviſſimum illud ver-

Digitized by Google

bum, ILICET, proclamabatur, quo quod IRE LICE RET & domum repetere, ſignificabatur.

ILICET & ego proclamo, Auditores, Sereniſſimè Illuſtriſſime, Perilluſtres, Magnifici, Spectabiles, Venerand Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Reverend Clariſſimi, Doctiſſimique, ILICET, inquam, & ego pro clamo, nolo enim Vos morari amplius. Pro eo tamen, quo partim hanc Oratiunculam levidenſem, in Laudem REIN KINGIANAM inſtitutam ſolenniter recitandi mihi tan benevolè facere poteſtatem; partim etiam quod me ba butientem tam frequentes: & faventes audire volueriti gratias Vobis, Auditores omnium Ordinum ſplendidiſſim quantas poſſum maximas ago: offeroque viciſſim omn bus omnia mea ſtudia, obſequia, & ſervitia. His dictis ite rum ingemino illud ILICET.

In obitum Viri Illuſtris
REINKINGII.

INdue funereas, Holſatia, corpore veſtes
Lumine Patroni jam viduata tui,
Nobile ſidus erat noſtri REINKINGIUS *orbis*
Germani: ſed erat! Nam tegit umbra Virum.
Tumba tegit, quod erat ſolum mortale, cadaver:
Cætera vel cœlum, vel pius orbis habet.

BALT. BEBELIUS D. & P. P

LAude Virum dignum, ſumma ſine laude per· e
Non fas eſt: Magnis, quia gloria ſumma perennat.
Sic Te cum rapiant REINKINGII *pia fata, et amplum*
Quod THEODORUS *erat nomen reperitur in albo*
Iurisprudentum: Iuſtum, ſincerus amore
Qui complexus eras, veræ pietatis amator.
Tu ſtudiis celebris, laudem ſine fine perennem
Accipies, nomenque tuum remanebit in aſtris.
Percipis aſt meritò nunc fœlix, gaudia cœli,
Aſpiciens ſummum Dominum cunctosque beatos:
Dum Virtutis amans, inter virtutis amantes,
Liquiſti terras, cernis jam regna ſuperna:
Inde vale TIBI *ſupremum acclamando repono.*

FRID. DECKHERR. D. & P. P

SCRI

Digitized by Google

SCRIPTA.

Oratio Parentalis in obitum Gothofredi Antonii in Academia Gieſſena Cancellarii & LL. Profeſſoris Prim. *Gieſſæ* 1618. in 4.

Tractatus de Regimine ſeculari & Eccleſiaſtico; *ibid.* 16.19. 1622. *Marpurgi* 1632. in 4. *Baſileæ* 1622. in 8. *Franc.* 1651. 1659. 1665. 1663. in 8.

Reſponſum juris in ardua & gravi quadam cauſa, concernente Proceſſum quendam contra Sagas nulliter inſtitutum & inde exortam diffamationem:

Tractatus Synopticus de Retractu Conſanguinitatis: *Marpurgi* 1631. *Gieſſæ* 1662. in 4.

Bibliſche Policey/ das iſt/ Gewiſſe/ aus heiliger Schrifft zuſammen gebrachte/ auff die drey Hauptſtände gerichtete Axiomata oder Schlußreden: Franckfurt 1653. in 4.

Das Leben der Seelen im Tode/ oder Diſcurs von dem Zuſtand der Seelen/ wann ſie vom Menſchlichen Leibe geſchieden: *Lübeck*. 1672. in 12.

Diſp. de Legibus & armis.

PANEGYRICUS FUNEBRIS,

Quo

Illuſtris Viri,

Magnifici, Nobiliſſimi, Præſtrenui & Conſultiſſimi,

DN. TOBIÆ OELHAFEN

à SCHOELLNBACH, JCti,

Diverſorum S. R. Imperii Statuum, Reip. præprimis patriæ Conſiliarii, & Univerſitatis Noricæ Procancellarii, optime meriti,

MEMORIAM,

In Cœnobio Auguſtiniano,

publica pietate honoravit

CHRISTOPH. ANDREAS HARSDOERFFER, Patritius Noricus.

Generis Nobilitate Præſtrenui, Virtute Magnifici, Auctoritate Conſpicatiſſimi, Dignitate Ampliſſimi,

Conſultiſſimi, Excellentiſſimi;

Admodum Reverendi, Experientiſſimi, Clariſſimi Viri:

Nobiliſſima Oelhafiorum Familia,

Patroni, Fautores, Cognati Honoratiſſimi,

Auditores officioſo honoris & obſervantiæ cultu proſequendi;

Non

Digitized by Google

NOn inelegans inventum eſt Poëtæ recentioris: in extremitate fili * *Parcarum numuma* quoddam, ſive monile pendere, *in quo defuncti Nomen* ſit impreſſum: *Tempus* autem *cultrum Atropi* præſtolari, & ſtatim *abſciſſo filo* numismata eripere, eaque aſportata paulò poſt *in fluvium Lethes* ex gremio ſuo projicere: *circa fluvium* autem magnam *avium vim* volitare, quæ numismata arripiant, ac poſtquam *in roſtris* ipſarum paulilper eadem *circumtulerint*, tandem per incuriam *in fluvium decidere* patiantur: inter eas verò *cygnos* reperiri nonnullos, qui, ſi numisma aliquod cum Nomine prehenderint, illico *ad templum* immortalitati conſecratum deferant. Nonne hoc figmenti peplo *Virorum Illuſtrium* virtutes involvuntur? meritorum ſcilicet *memoria* ultra vitæ tempus proroganda, funebrique elogio ad poſteritatem publicè celebranda venit. Hinc apud erectas gentes in more olim poſitum erat „Celeberrimorum Virorum ſuorum funera delubris clauſis, indicto juſtitio, ſordidato vultu, ſciſſis veſtibus, publico planctu repetita ſui doloris ac virtutis ſibi ademptæ commemoratione, imò externatis propemodum animis afferre. Nec id abs re factum videri debet: Ut enim Luminum, quæ diem diſtinguunt & noctem, defectiones cum horrore in cœlo obſervantur, ſive quia natura vim pati videtur, ſive quia in publicas calamitates, mortalium generi exitioſas exire ſolent: Sic Optimorum Illuſtrium in terris Virorum mortes non minore animorum conſternatione excipi debent, quippe quæ fatalem Rerump. converſionem, ne dicam occaſum, portendere videntur.

Franc. Verulam. lib. II. de Augment. Scient. cap. 7.

Sed quorſum hæc, quærat aliquis? dicam paucis. Tertius nunc menſis labitur, quo DN. D. TOBIAS OELHAFIUS, è vivis exceſſit: qui, ſi ullus laudibus in cœlum ferendus, ſi ullus grata *memoria* præclariſſimis in patriam meritis, digna laudum prædicatione explicatis, ab interitu oblivioniſque injuria vindicandus, hic certè Noſter eſt: ſi ullum perfectum virtutum doctrinæque exemplar ad imitandum proni poteſt, Noſter OELHAFIUS poteſt: Hic enim in firmiſſimæ virtutis petra omnis vitæ fundamenta collocavit: hic tantus & talis omnino fuit, in quo vel plura, vel majora, quam præ ſe tulit, optare, comminiſci, deſiderare pudor profecto ſit: non approbare verò, planè peccatum, in quo virtutes omnes certam quaſi ſedem ſibi fixerunt. Iniquum omnino eſſet, ſi tanti Viri

tàm benè per omnem vitam de Republ. meriti, imò emeriti, de patria, in qua, tanquam in circo aliquo virtus illius non ſine dignitate, ac ſplendore excurrit, *memoria* vel temporis oblivione tacitè ſopiretur, vel invidiæ ſaltem iniquitate imminueretur.

A nullo autem alio magis hoc pietatis & gratitudinis officium exigi poteſt, quam à me ipſo, qui naturali agnationis beneficio Defuncti conſobrinus ſum. Igitur, quia & in veterum hiſtoriis adoleſcentes defunctis conjunctiores, non ſemper qui facultate dicendi antecellerent, orationes funebres habuiſſe legimus: ego quoque juſtæ pietatis officio incitatus, mihi ipſemet hoc onus impoſui, idemque facere decrevi. Licet verò hanc gravem & arduam provinciam eſſe agnoſcam, licet haud immemor mearum virium ſim, quid ſplendidiſſimo huic conſeſſui debeatur, tantaque rerum tractandarum excellentia & amplitudine dignam proficiſci vix poſſe orationem ab Oratore feliciſſimo facundiſſimoque (nedum à me infacundo) deprehendam; tamen cohibere me ſilentio non poſſum, quin de laudibus OELHAFII aliquid coner effari: nec adulantibus verbis, nec blandis vocibus, ſed libertate, veritate purpuram ejus venerari: Præſtat eloquentiæ, quam pietatis periculum facere: præſtat audacis animi crimen dicendo ſubire, quam tacendo puſillanimi & ingrati. Et me me ipſum conſolatur ac recreat, quod Vobis utique teſtibus adulationis nulla mihi deprecanda ſit opinio: habebitque hæc mea oratio ſi minus in aſſequenda tantarum rerum dignitate gloriam, in prædicanda certè fidem exiſtimationemque veritatis. Quoniam verò minus graviter, quam par erat, ſum dicturus, præſtate mihi quæſo, Sacri Muſarum Antiſtites, qui de JCto Veſtro meritiſſimo, de Avunculo meo. eheu non amplius meo! de TOBIA noſtro venerandæ *memoriæ* OELHAFIO, verba ſum facturus, audiendi patientiam faventiamque.

Platonem indies pro tribus beneficiis gratias egiſſe Dîs, legimus: quod homo, non bellua, quod Græcus, non barbarus, quod Athenienſis, non Megarenſis aut Thebanus natus eſſet: Præclaros enim habere parentes, pro ſumma felicitatis parte ſemper habuit. Hinc Charmidem laudaturus eundem feliciſſimo conjugio & parentibus vetuſtate familiæ, & virtutum conſpiratione præcellentibus prognatum fuiſſe, prædicat. Quod ad incomparabilis D. OELHAFII

Digitized by Google

HAFII natales attinet, parentibus nobiliſſimis, honeſtiſſimis, optimis, piiſſimisque natus eſt, anno poſt milleſimum ſexcenteſimo & primo auſpiciis feliciſſimis, patre *Elia*, qui reconditæ ſummæqu eruditionis Vir è nobili & antiqua Oelhafiorum familia ortus, dum prius quidem curæ eleemoſynariæ & ſacris reditibus, poſt verò per viginti & aliquot annos publici ærarii cenſibus, aliisque Reip. ſecretiſſimis negotiis ſumma fide, ſingulari dexteritate, & plus quam humana induſtria præfuerat, Noſtrum in lucem ſuſcepit: matre verò *Hedvvige* generoſæ indolis, à prænobili, vetuſta & præclara *Löffelholtziorum* proſapia oriunda; quam utramque, ſive antiquitatem gentis ſpectetis, celebratiſſimam à multis retrò ſeculis fuiſſe: ſive claritatem generis conſideretis, honoratiſſimam, & in magna apud omnes bonos exiſtimatione ſemper extitiſſe, & etiamnum eſſe, liquet. Ut enim de reliquis taceam, Proavus paternus TOBIÆ noſtri, *Sixtus Oelhafius* b. m. trium S. R. I. Cæſarum FRIDERICI III. MAXIMILIANI I, & CAROLI V. ex ordine regnantium, domeſticus Conſiliarius, Comes Palatinus, Legatus in Ungariam, Belgium, & ad multos imperii ſtatus extitit. Hic, ceu famliæ noſtræ, imò univerſæ patriæ Sol longe lateque ſplendebat.

Quid de Patruo Illius dicam? de *Iohanne Chriſtophoro Oelhafio*, qui Cæſ. Maj. Ordini Teutonico, Ducibus Saxoniæ, Reip. patriæ aliisque Sacri Rom. Imperii Ordinibus à Conſiliis, Univerſitatis Altdorfinæ Pro-Cancellarius graviſſimus, vita ſua laudabiliter acta & transacta, meritisque tùm in Remp. tùm in Academiam, tùm in cives tùm exteros ampliſſimis ſummum etiam nomen ſibi comparavit, illuſtri laude apud omnes conſpicuus, cujus vitam Noſter pientiſſimis manibus dignitate quadam & virtute par Tulliana eloquentia Altdorfii ore parentavit cœleſtiſſimo.

Prætereo nunc magnam ſeriem Parentum matris, Cognatorum & affinium & Senatorum, & aliis dignitatum generibus Clariſſimorum Virorum: quos, ſi limites præfinitos transire liceret, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando utique poſſem. At quem fugit, Avum maternum *Dn. Thomam Loffelholtzium à Colberg*, fuiſſe Senatorem Reip. noſtræ fulgentiſſimum: quippe qui unà cum DNN. GEORGIO VOLCKAMERO, BARTHOLOMÆO POEMERO, PHILIPPO &

JULIO GEUDERIS, Reip. noſtræ Principibus, Scholam Altdorfinam, veræ pietatis, liberalium artium & diſciplinarum neceſſariarum linguarum quoddam quaſi delubrum conſtituit.

Hæc ergo Optimi TOBIÆ Noſtri familia, quæ niſi antea nobilis fuiſſet ab unico Noſtro OELHAFIO nobilitatem æternæ memoriæ gloriæque immortalis initium adipiſceretur: Hi Avi, hi Parentes erant, qui bono & nomine & omine vitalibus Noſtrum auris ediderunt. Ab illis piis optimisque Parentibus ſimul ac matris gremio & cunis major redditus aliquantum adoleviſſet, ſine mora in ludum literarum emittebatur: cumq; vix annorum quinque fines attigiſſet, ſtudiis humanioribus tradebatur. Niſi verò Parentum ac Præceptorum cura cùm fatorum benignitate certet, non tantum illa læta herbarum ſemina extinguuntur, ſed & ipſi ingeniorum agri ſylveſcunt, & in vepreta degenerant. Igitur à fidelibus magiſtris iis ſtatim artibus, quarum capax prima ætas eſſe ſolet, feliciter imbuebatur.

Integerrima Oelhafii vita
Non ſenio *ſolùm, ſed &* infantia *caruit;*
Amica medii virtus
tum ab utroque *ſemovit* extremo:
Heroëm *voluit non minus* naſci,
quam fieri.
Felix ager culturam *omnem* præveniens,
Cùm ne quidem vernant *alii*, autumnavit:
Agricolam *Deum* exhilaravit
Miraculi plena maturitas:
Clara, in novi Solis aurora, meridies *erat:*
Semper pollicitus Noſter majora,
dum daret maxima:
Animum ſuum iis fovit ſtudiis,
iis ſtimulis *incitavit,*
Ut ingenitæ probitati acquiſitam adjiciens,
Ipſiſmet fieret eruditoribus *ſuis* ſchola:
Ubi ea ipſa diſcerent, *quæ* docerent.

Cum patria in claſſe initiis literarum eſſet eruditus, anno poſt milleſimum ſexcenteſimum quinto & decimo Altdorfium, (quoniam ingenia divina cum fructu plerumque patriam relinquunt, ceu plantæ, quæ ſi interdum transfe-

Digitized by Google

rantur; felicius ſurgunt,) ab optimis Parentibus, cum vix decimi tertii ætatis anni limites exceſſiſſet, una cum fratre natu majore *Elia Oelhafio*, Seniore nunc in majoratu Schölnbach adhuc, utinam ſeros in annos! ſuperſtite, eſt ablegatus, uberioris capiendi cultus cauſa. Ubi ſumma animi intentione, vigilantia, labore & aſſiduitate bonarum artium ſtudiis incumbebat; quicquid in Poëtis lepidum, apud Oratores grave, in Hiſtoria fidele erat, annotabat. Hinc non unum diligentiæ præmium ex Athenis illis retulit: *primo* enim *anno*, Feſto Petri Pauli, non ſolum in *ſecundam*, ex hac ad *ſupremam* claſſem eſt promotus, ſed etiam *primus* ipſi *locus* extra ordinem & morem in ea aſſignatus. Rem ipſam eloquar: quales alii paulatim fiebant, Noſter à natura ſtatim, ab initio fieri videbatur. Neque eruditionem ſolummodo conſecutus, ſed & laudem à Præceptoribus adeptus eſt ſingularem, ſe nunquam vidiſſe tam indefeſſum ingenium, & laboris aut appetens magis, aut furens.

Quia verò eadem virtutis eſt ratio, quæ flammæ ſurgentis, ut latere diu non poſſit; tàm facilè Doctores invenit, quam amicos; quos ſequeretur, & quibus præiret. Nactus eſt è reliquis, quanta nomina! *Dn. Michaelem Piccartum, & Dn. D. Frauenburgerum*, quorum quam illuſtris fuerit eruditio, eruditorum orbis teſtatur. In horum notitiam Noſter perveniebat, lectionibus publicis ac privatis intererat, auditas calamo excipiebat, exceptas in locorum communium forulos dirigebat; inprimis verò conjuncta *Philoſophia*, & ſalutaribus *Iuruprudentiæ* fontibus ſuaviter deguſtatis, ſtudio *Mathematicis* quaſi mancipando operam dabat, & curioſa mentis indagine terrarum orbem luſtrabat: publicis etiam privatisque diſputationibus & orationibus animum incitabat, linguamque & memoriam exercebat, quarum duas præcipuas, unam ſub magni Illius *Piccarti* præſidio *de formis & ſpeciebus Rerump* non formoſam minus, quam ſpecioſam; alterã ſub umbone celeberrimi *D. Frauenburgeri, de donationibus* habitam, enumeraſſe ſufficiat.

Sic igitur cum in hoc Lycæo & diſcendi, & audiendi, & interrogandi cupidiſſimus, magnos in bonis artibus feciſſet progreſſus, perque *triennium* hic eſſet verſatus Muſarum ſedem, uberiore cum quæſtu excolendi, & ſapientiæ virtutisque ſolidioris comparandæ gratia, ad auguſtiſſimum illud literarum emporium, *Tubingam*, tranſtulit. Hic quamvis *lingua Gallica & Italica* animum adjecerit, ſtudiis tamen

non

non valedixit: ſed potius, quod ſemel ingreſſus ſtudiorum iter, ſumma animi alacritate urſit, indefeſſa ſedulitate nocturnis vigiliis totius acta diei, audita, lecta, dicta memoria recoluit. Effulgebant eo tempore in hac Academia magna illa & æterna eruditionis lumina, *Rumelinus* juxta ac *Beſoldus*: fuit illud in his Viris, quod in Socrate non ſemel miris eloquentiæ coloribus depinxit Plato: ut ſi quis iis ſe dediſſet, ejus animum inexpugnabili illecebra ac Suada captum & poſſeſſum, ad præclarum aliquid inuſitatumque trausferrent. Ad hos igitur Noſter venit, ab his quaſi manu ad Jurisprudentiam deductus, cum his vixit conjunctiſſime, hos audivit feliciſſime, ea, quæ dicebant, arripuit avidiſſime, hos Præceptores agnovit, coluitque officioſiſſime: Horum lectiones, tùm ſcriptas tum in lucem editas, ſibi auro cariores habuit, theſauro pretioſiores fructuoſiſſime aſſervavit. Ante autem quam Oelhafius ab hac Academia diſceſſiſſet, publicam cathedram & hic loci diſputationibus egregiis ornabat: unam *in Collegio Pandectarum*, præſidii operam commodante *Dn. Rumelino*, alteram Duce *Dn. Beſoldo de Magiſtratibus* magno Aud. concentu habebat.

Quemadmodum verò generoſus & acer equus, ad palmæ curſurus honores, in medio curſu non ſubſiſtit: ſed alacer ſummis viribus celerique pede ad metam ſibi propoſitam contendit: Sic Noſter Academiam *Tubingenſem* cum Argentoratenſi, *Argentoratenſem* cum *Baſileenſi* commutavit: ubique eruditionis opes indefeſſa diligentia collegit, ad almæ Jurisprudentiæ ſtudium ita ſe totum compoſuit, ut nullum alium ſibi ſcopum proponeret, quam ad capeſſendam publicam provinciam pectus munire. Ubique clarorum Virorum judiciis ſeſe expoſuit, à quibus etiam, & à toto JCtorum ordine teſtimonium ſatis honorificum, ſatis illuſtre, ſatisque amplum, diſputatione *de principiis juris*, ſolius DEI præſidio, feliciter habita, accepit obtinuitque. Hinc ex iis, quæ adhuc vidimus, quam frugem factura ſit hæc ſeges, quæ adhuc in herba eſt, facile auguramur.

Gemuit, *ſub loquentis* Juvenis facundia,
Seniorum lingua *oppreſſa*:
Seu modeſtiam *interrogantis*,
Seu auctoritatem *reſpondentis attenderent*:
Tot ſuſpiciebant in Illo monſtra, *quot* verba.

Nun-

Digitized by Google

Nunquam facundior,
Quam cum mutos *faceret*,
vel tacendo facundos.

Quantumvis verò congreſſus Sapientum, non montes nec maria prudentiam doceant, varias tamen gentes quoque dum adimus, dum audimus, ſemper invenimus, quod admiremur, quod imitemur: imò in peregrinatione plus hauritur unius menſis contubernio, quam lectione annua.

Inde Noſter quoque non omnia è libellis ſolis ediſcenda, (quod genus eruditionis *aquam ciſternæ* dicere ſolebat prudentiſſimus Dux Albanus) ſed *aquam de fonte* petendam, rerum illam univerſitatem luſtrando quodammodo ſibi deguſtandam ratus, magis magisque inflammabatur: quæ legiſſet, intueri: quæ audiſſet, experiri: experientia ſeſe aptiorem ad Remp. reddere, urbes cognoſcere, inſtituta perſcrutari: mores, ritus, legesque gentium penetrare. In *Gallias* itaque ſuaſu & conſilio Parentum, iter direxit, & inter florentiſſimi illius regni civitates *Avaricum Biturigum*, ubi per aliquam temporis partem moraretur, elegit. Hic loci Noſter *Nationis Teutonicæ Præſes* communibus ſuffragiis creatus eſt, quo officii genere non minore ſua cum gloria quam nationis commodo & ornamento functus eſt. Anno inſequente vicinas regiones ac urbes, *Aurelianum*, *Lutetiam*, aliasque circumſpecta cura perluſtravit: Inde per Piccardiam, Normandiamque *Londinum* pergens, egregia nobiliſſimi illius regni & ſpectatu digniſſima palatia penitius inſpexit. Hinc per Flandriam Brabantiamque curſum itineris in *Hollandiam* direxit: & per Hannoniam, itemque Arteliam, *Pariſios* reverſus, ab hac omnes urbes celebres, memorabilia omnia, & quæ vetuſtas temporumque iniquitas ſpectanda reliquit, inquirens, *Lugdunum* petiit.

Licet verò generoſum pectus Majorum *Iohan. Sixti* & *Iohan. Chriſtophori Oelhafiorum* imaginibus accenſum, invicto ferè deſiderio proficiſcendi in Italiam Hiſpaniamque inflammaretur: literis tamen Parentum morem non gerere, nefas eſſe ducebat: quare, propoſito relicto, per Belgii oras, patrios longo poſt tempore fines repetiit. Hic cum præclaris eruditionis prudentiæque mercibus, & ornamentis juxta ac linguarum exoticarum notitia probe inſtructus, ad ſuos feliciter redux factus eſſet, ut virtus in obſcuro eſſe non poteſt, brevi innotuit: ſuaque eruditione ac morum gravitate animos omnium ſibi conciliavit:

Præ-

Digitized by Google

Præprimis verò *Dnn. Georgii & Georgii Chriſtophori Volckamerorum*, quippe qui ut Virum viderunt, audiverunt, ſtatim probarunt, mox generum ſibi delegerunt: idcircò de futura ſuæ vitæ ratione optimè inſtituenda ſolliciti, certam ſeriamque cum Parentibus animi deliberationem ſuſceperunt, quibus divina ita diſponente providentia, Noſter quoque hac conditione aſſenſum præbuit, ne propoſito in *Italiam* itineri eſſet hæc res impedimento. Quamvis enim Oelhafius, viarum ſatis itinerumque moleſtiis & laboribus exantlantis, dulciſſima amicorum cognatorumque & domeſticorum conſuetudine frui potuiſſet: animus tamen illius nihil unquam abjectum: nihil vile ſpirans, ſed de fama ac gloria ſemper cum majoribus contendens, plura quotidiè ac majora cernere comprehendere, & cognoſcere ardebat. Tempus arridebat, quo *Dn. Georgius Holtzſchuerus*, b. m. in Italiam abire in animum induxerat, huic comitem ſeſe Noſter adjungebat, cum hoc iter pede fauſto ingrediebatur. Denique ubi Ille hujus etiam regionis provincias peragraſſet, præclariſſimas civitates, antiquitates, memorabiliaque oculorum acie penetraſſet, juſſu Parentum in urbem patriam ex itinere regreſſus eſt: quem ovantes ac læti Dei beneficio ſalvum acceperunt incolumemq;

Ita mores perfecit, *in oris peregrinis*, ſuos,
Ut & alienos perficere *videretur*
peregrinorum.
Qualis eſſet futurus, *edocuit*,
antequam eſſet.
Diu peregrinatus, ut luci *ſua* latebras *quæreret:*
Lumen Curiæ *factus eſt.*

Ex hoc ſtatim *Altdorfium* ſe recepit, ibique poſt conſueta examina, publicamque diſputationem *de appellationibus* magna cum laude habitam, Doctoris titulum (ad quem fata ipſa eum deſtinaverant) induit: ſimulque dignitas conſultoria non ab ipſo flagitata, ſed oblata: nec pretio aut precibus empta, ſed meritis debitis, non extorſa, ſed ipſi obtruſa fuit. O maturas ſegetes! ô fortunatum agricolam! ô nobilem ſtirpis Oelhafianæ ramum! etenim Noſter, *anno* ætatis *viginti quatuor* vix completis, *Conſiliarius Noricus* inauguratus, proclamatusque eſt. Sic, ſic inquam, ad majora feſtinandum!

Priusquam verò difficillimum & verò arduum hoc officium

Digitized by Google

cium uſurparet, ipſe ad ſupremum juſtitiæ tribunal. quod *Spiræ* fixam tenet ſedem, ſe recepit. Poſt hæc virginem antea ſibi deſponſatam, *Annam Sabinam*, Senatoris quondam graviſſimi, *Dn. Georgii Chriſtophori. Volckameri* filiam, ſive ortus ſplendorem, ſive indolis præſtantiam. ſive morum venuſtatem & vitæ ſanctimoniam ſive reliquas dotes ſexu hoc apprimè dignas intuearis, ornatiſſimam, lectiſſimam, ipſique Sponſo ſupra modum amantiſſimam ad digniſſimas tædas invitavit. Quod ſi verò unquam fato connubium aliquod factum eſſe, piè decretum eſt, hoc certè matrimonium verè fatale, verè auſpicatum, verè fortunatum fuiſſe, quem Veſtrum latet? Noſtro enim cum chariſſima ſua *Anna Sabina*, vitæ & laborum ſocia, per annos XL. placidum, felix, & omnibus modis exoptatum fuit conjugium: è qua liberi progenerabantur lectiſſimi.

Filium, nomine *Georgium Chriſtophorum*, divino favore Anno 1628. peperit, qui infans in vitæ limine fatis exceſſit. Deinde fœmina prole, *Maria Salome*, matris æmula, maritum beaverat: de qua, cum nubilis eſſet facta, Parens, pro intimo ſuo erga liberos affectu, per Dei voluntatem commodè elocanda, piam mente ſuſcepit cogitationem: & divina providentia Generum nactus eſt, qualem vix optare potuiſſet: Generum, inquam, natalium ſplendore, pietate, prudentia, omni doctrinarum genere multiplici rerum optimarum uſu, eximiis virtutum maximarum ornamentis celebratiſſimum, *Dn. Georgium Iacobum Pœmerum*, qui hodiè Reditibus Lauffæ eſt præfectus. Poſt inſignem ſtirpis ramum Anno 1632. filium *Dn. D. Georgium Tobiam*, non modò pietatis, ſtudiorum & virtutum, ſed & honorum dignitatibus ſtadio magni illius Parentis, raro felicitatis exemplo, ſtrenuum imitatorem, imò animi paterni imaginem pariendo in lucem edidit. Qui ſeſe cum Nobiliſſima Virgine, *Suſanna Catharina*, Magnifici, Præſtrenui, Nobiliſſimi & Prudentiſſimi *Dn. Eſaiæ Gumpelzheimeri*, S. Cæſareæ Majeſtatis & Sereniſſimi Ducis Saxo-Lauenburg. Conſiliarii, Reipubl. patriæ Ratisbon. Conſularis & Quæſtoris quondam graviſſimi, meritiſſimi, filia pietate, caſtitate, morum elegantia, omnibusque animi & corporis bonis eximia, Ratisbonæ junxit feliciter. Denique Oelhafio Noſtro annis abhinc triginta, & quod excurrit, filia *Helena Sabina* nata eſt, quam, cum matura conjugio eſſet reddita, Parentes Viro antiqua generis nobilitate, judicii dexteritate, pruden-

tia,

Digitized by Google

tia, variarumque virtutum ſtudiis Spectatiſſimo *Dn. Tobiæ Tuchero à Simmelsdorff*, Aſſeſſori judicii ſuburbani elocarunt. Sic itaque Conjux Oelhafiana quater, Dei gratia, puerpera facta.

Eam ad Illum Sponſam Hymenæus adduxit,
In qua & Genus & Genius,
& amores & mores *etiam pares eſſent.*
Nobilium *animorum* æqualitatem
cœleſti *credatis exploratam in* libra.
Dignam Patre Optimo *ſobolem*
Natura mater *dedit:*
Quæ felicibus *ſemper obſtetricata* puerperiis,
Vera mundi Lucina *eſt.*
Sera poſteritas
Multorum annorum juſtus *eſt* labor:
Hinc
Qui non pariunt, niſi æternum victuros,
Diu *coguntur* cogitare, *quos pariant.*
Oleum,
caſto conjugii incendio,
Superſtites flammas
in lætitiæ *argumentum* accendit.

Nunc revertatur, unde digreſſa erat oratio mea. Noſter virilem modò ætatem ingreſſus, ampliſſimi *Dicaſterii* Norici *Aſſeſſor* factus, ſpartam hanc egregie ornabat: ita, ut cum veteranis conſilio & dicendi gravitate certarit, cum tyrocinia Reip. demum libaſſe videretur. Magnam ſibi brevi ſtudio, fide & vigilantia autoritatem comparavit: & quæ antea paſſim ſingulari diligentia hauſerat, id omne in Reip. commodum effundere non fruſtra conabatur. Deliberabat circumſpecte & mature, rite ac perite judicabat, conciliabat prudenter & nervoſe. Quod cum Reip. Patriæ Patres animadvertiſſent, *ſecretiſſima* quæque *negotia*, & in quibus ſumma pars ſalutis Reip. conſiſtebat, fidei ipſius comiſerunt.

Longum profecto hic fuerit, *legationes* omnes, quas ſubſecutis temporibus eximia cum Principum, Ordinum, Reip. patriæ laudatione ac fructu, ſui verò commendatione admodum honorifica confecerit, recenſere: itinera & infinitas difficultates deſcribere: plurimaſque urbes, quas non ſine maximo prudentiæ incremento peragrarit,
memo-

Digitized by Google

memorare: Operæ igitur pretium me facturum exiſtimo, ſi vel *præcipuas* earum extremis potius labellis delibemus, quam ore ſicco prorſus illibatas relinquamus. Quis verò ad Imp. Majeſtatem ſermonis magnitudine citius ac propius acceſſit, quam Noſter Oelhafius: cujus linguæ omnes cum Gratiis Muſæ incumbebant, in cujus ſinum & Suadela & Pitho acervatim ſua munera conferebant. Cum enim *Dn. Ioh. Iacobus Tetzelius* & *Dn. D. Iacobus Fetzerus*, b.m. ſat diu *Viennæ* arduis & gravioribus in negotiis hæſiſſent, Noſtro a Superioribus demandatum eſt, ut munere Illorum fungeretur. Non mora: illuc contendit, ubi per menſium quinque ſpatium maximis defatigatus moleſtiis, ad Imp. Maj. *ter* facillime admiſſus eſt, aures ipſi patientiſſimæ, reſponſa benigniſſima fuerunt: ſuaque conſilia tum Ipſe Imp. tum Proceres Imperii non tacita tantum animorum opinione, ſed & perſpicua admiratione comprobarunt. Hoc loquor, nec ſatis eloquor. Quid? quod annis inſequentibus conventui *Geislingenſi*, *Norimbergenſi* verò nomine ac voluntate Illuſtr. Principis JOH. CASIMIRI, Ducis Saxoniæ interfuerat, qui plurimi Oelhafium fecit, Conſiliariique munus concredidit.

Ut verò una virtus alteram, ſic & legatio legationem ſtatim excipiebat: invitabat enim Illuſtris Senatus Noſter Eundem *Pragam*, ad alia benè expedienda. Poſthæc *Neagoram* & *Ambergam* profectus, egregiè res ſuas peregit. Anno 1636. rurſus, nomine Ducis Saxonico-Coburgenſis, conventui Franconio, *Norimbergæ* collecto, interfuerat: annis inſequentibus modò hic, modo ille Baro, ſive Nobilis illius conſiliis benigne, clementer, & benevole uſus, ab eisque admodum arduis & gravibus in negotiis *Bambergam*, *Culmbachium*, *Coburgum*, *Greffenſtein* & *Monachium* miſſus eſt: legationesque has ſumma fide ac induſtria obivit. Circiter annum 1641. *Ratisbonæ* comitia celebravit, & ſub finem ejusdem anni *Herbipolim* miſſus eſt. Quanta verò expediverit inſequente anno, quis Veſtrum ignorat? noſtis utique, Noſtrum *Herbipolim*, (ubi nomine hujus Reip. novo electo Archiepiſcopo Moguntino gratulabatur) denique *Francofurtum* profectum, ibique per *duos* inſequentes *annos* eſſe commoratum. Non multò poſt, *Culmbachium* & *Bambergam*, *Monaſterium* & *Osnabruggam* abire feliciter juſſus, & re tandem præclare acta, poſt integrum *biennium* ad ſuos cum gloria laudis reverſus eſt. Sed

Digitized by Google

rurſus dimittendus patria erat Oelhafius: & (ubi interim *Princeps VVirtenbergenſis Everhardus*, & *Comes Ioachimus Erneſtus Ottingenſis* laudatiſſimæ memoriæ, qui Conſiliarii munus Illi concredidere) *Bambergam* commeavit: Inde *Erfordiam*, poſt *Monachium* profectus: eodemque anno multa tum pericula tum præmia, honoresque & dignitates adeptus eſt. Cum *Carolus Guſtavus*, *Com Palatinus Rheni*, militiæ Svecicæ tum temporis *Generaliſſimus*, poſtmodum *Rex* ipſe glorioſiſſimæ memoriæ, cum magno illo *VVrangelio*, Dux Amalfæus, aliique Regum ac Principum Legati hanc in urbem adventaſſent, Oelhafio non alius dignior viſus, qui Dn. Burckhardo Löffelholtzio (*quod Curia Numen, inter mortales diu ſervet veſtigia, precor* !) & Jodoco Chriſtophoro Kreſſio. b. m. adjungeretur: Poſthæc *Francofurtum* rurſus, *Eslingam* & *Bambergam* ablegatus eſt.

Intelligo verò, me jamdudum injuriam facere eruditiſſimo Oelhafio, cùm de *Procancellariatu* ejus nihil adhuc dixerim. Poſtquam Dn. D. Richterus, b. m. naturæ conceſſiſſet, Noſter in vicem Illius Procancellarius deſignatus, etiamque ad majorem dignitatis & eminentiæ gradum evectus, *Aſſeſſor Iudicii Appellationis* (ut vocant) conſtitutus: qua in functione Ipſi nihil prius nihilque antiquius fuit, quam ut tanto Anteceſſore ſe dignum luculenter demonſtraret, expectationique de ſe reſponderet: & reſpondit profecto ad amuſſim: Nec in faſtu oſtentationeque decorem tantæ dignitatis ſitum duxit. Inde factum, ut Profeſſoribus pariter ac Studioſis Ejus procuratio fuerit gratiſſima, patriæ verò fructuoſiſſima. Hoc inſuper anno *Ratisbonam* denuo ad comitia reverſus, & per *biennium* inibi haud deſes fuit: inter hæc tamen curam Academiæ non remiſit, ſed potius in complexu, oculis & auribus habuit: rurſus atque iterum Ratisbona illuc profectus, unice eam dilexit & coluit. Quoties enim illam, veluti theatrum ingenii ſui, non abſque audientium admiratione & applauſu, cœleſti ſua voce celebravit: cujus quidem triſte ſilentium ac deſiderium nunc relictum eſt?

Tanto fueri præficas
Omnes decet adeſſe Camænas:
Omnes regnarunt in vivo,
Omnes lamententur in mortuo.
Luctum *indicit*, hac lege, *Iuſtitia*,
Vt in luctu *jam* non *timeatur* exceſſus:

Pri-

Digitized by Google

Privatus *ſæpè* cùm vitiò;
Publicus *Academiæ Pater*
Semper cùm virtute *lugetur.*
Aures *ſuas obſtruens nulli;*
Vocem *omnibus exhibens;*
fecit incertum;
Audiendò *ne magis profuerit, an* dicendò?
Vocem prudentiâ *corroborans;*
Diſertiſſimus *etiam, cum* taceret;
Nunquàm avidius *optabatur* audiri,
Quàm cùm diutius *eſſet* auditus;
Deficiente *naturâ; nulli* deficiens;
Ità Procancellarium *ſe eſſe* meminerat;
Vt ſenem *ſe eſſe* neſciret.
Qui potuit inter bella Mars *credi;*
Inter Muſas *viſus* Apollo *eſt?*

In omnibus verò comitialibus conſiliis & actionibus ſuis ad unius publicæ ſalutis & Reip. noſtræ ſcopum collimabat, illique quibuscunque rebus potuit (potuit autem quam plurimis) conſulere non ſuper ſedit. Hinc fide illius dexteritateque cognita non defuere; qui Oelhafium; patria abſtrahendum; lateribus ſuis jungere & inter Conſiliarios arcanorumque conſcios cooptare; ingenti ſtudio & præclariſſimis oblatis conditionibus; conarentur: ſed Ille, quo ardebat erga patriam amore; qui rectum naturæ genium ſequebatur; hos gloriæ cumulos; & dignitatum plauſtra deprecabatur: inque Patriæ dulciſſimæ gremio ac complexu vitam tranſigere paratus erat.

Interim Ille ad omne ſtudii & muniorum genus excitatior factus; nullis pepercit laboribus; quantumvis gravibus & arduis; Circiter enim annum 1654. *Bambergam*, anno ſequente *Francofurtum*; quo in loco per *quadriennium* ferè continuò moratus; iter inſtituit. Neque tunc quievit, ſed anno 1659. rurſus iterumque *Bambergam*, mox *Ratisbonam*, *Monachium*, *Ambergam*, anno 1661. rurſus *Monachium*, *Ratisbonamque* ablegatus, ubique; quicquid magnarum rerum geri poterat; executus: quicquid ſcire, complexus: domi, foris, ubique; clam, palam apud omnes etiam bonarum artium obtrectatores in pretio conſtanter habitus; maximique æſtimatus.

Poſthæc longinquis ejuſmodi legationibus & id genus loca ad extera profectionibus valere juſſis; tanquam mari

negotiorum ſuperato in portum ſe domeſticum recepit, & tranquillius reliquæ vitæ ſpatium, per DEI gratiam traducendæ, genus ſibi delegit. Ante biennium verò adhuc ſemel præſenti animo & opera *Ratubonæ* aderat. Hoc modo Noſtrum *ultra ſex & triginta legationes* in difficillimis Reipub. negotiis obiiſſe, conſtat: in quibus omnibus non modo ipſe legati munere bene functus eſt, ſed & aliis legationis benè gerendæ exemplum tradidit. Ita ſeſe in omnibus ad dignitatem proſperitatemque Reip. ſpectantibus geſſit, ut non minorem ab eo Imp. ſive Principe, ſive Statu, ad quem ablegatus fuerat, gratiam, quam à Senatu Noſtro laudem reportarit.

Stertant *ubique* deſides *animæ*,
& unus iis ſit labor; *tueri* otia:
Oelhaſio Noſtro,
Ne quis in vita vacaret quieti locus,
momenta *omnia, velut* monumenta,
laudatiſſimis curis impleta,
Algoris, ardoriſque *comes aſſiduus*
vitam ſuam fecit
& nobile ſolatium ſtrenuis,
& calcar *moleſtiſſimum* delicatis.
Æterna conſultatione mentem ſollicitans,
qui & agenda *non facilè* decerneret,
Et acta *prudentiſſimè* trutinaret.
Corpus *ipſum in* animi *propemodum* naturam *coegit*:
Ita illi & ſomni *tempus* arctavit,
& amplificavit laboris:.
Nulla re magis, quam fatigatione recreatus.

Quorſum verò abripior? ipſa me abſorbet oratio, dum conor aliquid etiam ex multis prælibare recenſendo, & attingere ipſa veluti rerum capita enumeratione eorum, quæ maxima felicitate geſſit. Nolite verò Aud. hæc, quæ de Illius laudibus usque adhuc à me dicta ſunt, parvitate potius dicendi, quam magnitudine ſingulorum expendere: ſi enim orationis meæ tenuitas tanti Conſiliarii ingenio incomparabilis, conſpicui arte, ſapientia & judicio JCti, Oratoris diſertiſſimi, magnitudinem non æquarit, tanti Viri imaginem complectimini.

Nunc reliquum eſt, ut ad extremam quoque Illius metam & fabulæ humanæ ultimam ſcenam deveniamus.
Quam-

Quamvis igitur Oelhaſio naturæ beneficio ſatis firma & robuſta contigerit valetudo: diris tamen vigiliis, concatenatis laboribus, continuis peregrinationibus & mordacibus curis animum fatigavit, vires fregit, artus debilitavit, mortalemque ſe effecit, qui ob res præclare geſtas immortalis credebatur. Et ita fieri amat, ut dum pro aliorum commodis ſtrenuè laboramus, nobis ipſismet poſtea bellum cum adverſa valetudine durum atque infelix ſit gerendum. Præprimis verò anno ætatis tertio & ſexageſimo virium imbe-„cillitas cœpit, quo anno quædam juxta filios Aſtrologo-„rum in hominum vita fieri ſolent mutationes aliquando „ad meliorem ſtatum ſanitatemque interdum verò ad de-„teriorem & ad morbum vel ad mortem, pro ratione cujus-„que temperamenti. Verum quis cuique annus ſit clima-„ctericus, ex diei & horæ natalis obſervatione, non ex ipſius „morbi aut periculi ratione conſtat. Hinc varii eſſe ſolent „climacterici anni, nec iidem omnibus: quidam enim ca-„dunt in ſeptenarios, eosque eſſe longe graviſſimos peri-„culoſiſſimosque exiſtimant: quidam verò in annum vitæ „ſexageſimum, quidam in quartum & ſexageſimum, quidam in ſecundum & ſexageſimum. Quicquid ſit, nos hoc Aſtrologis relinquamus, quoniam Noſter omnes ſibi dies climactericos eſſe exiſtimavit: nec vitæ ſpatium annis amplius vel menſibus metitus, ſed diebus & horis omnibus paratus ultimam neceſſitatem excipere. Inde labores diurnos quotidiè à precatione & *lectione Græca* Novi Teſtamenti inchoabat, finiebatque: nec cum anno inſequente ambigua valetudo, ſive hemiplexia eum invaſiſſet, corporisque viribus magis magisque deſtitutus, noctes inquietæ ſecutæ eſſent, corporis infirmitas pietatem ejus vel tantillum debilitare, nec frigida ſenectus flagrantem religionis amorem extinguere poterant. Teſtantur pietatem, & clare teſtantur libri Theologici, in quibus plurimis non ſine induſtria verſatus erat: neque enim ſatis credidit eſſe, profanis delectari autoribus, niſi & ſacris deliciis animum reficeret ſuum. O ſanctum pectus! tunc recte omnia fieri & convenienter proſpectum eſt, ubi pietas pro ſcopo & fine & regula actionum noſtrarum proponitur.

Taceo jam, quod tamen, ſi temporis ratio permitteret, tacendum non eſſet, ſenilem animum multa optimorum librorum lectione ſe recreaſſe: omne otium, quod à Reip. negotiis ipſi liberum dabatur, in cultu optimarum artium

Digitized by Google

liberaliter occupaſſe: libros amplexum eſſe, quos in inſtructiſſima bibliotheca, veluti ſapientiæ armamentario, optimæ notæ autoribus in variis diſciplinarum generibus refertiſſimo, poſſidebat: quam bibliothecam magno ſumtu ſtudioque ſibi comparavit, non ad oſtentationem ſed ad uſum auxit ornavitque. O Muſarum Patrem! ò excelſam & prædicandam omnibus ſeculis mentem! nulli ſe otio tradebat, quo otio communi conſuleret: propriam quieſcat projiciebat, ut nos quietem & ſecuritatem haberemus. Sed hoc modo aliis inſerviendo, inſtar candelæ. ipſe conſumebatur: vitæ flamma, quæ medicis calor naturalis dicitur, decreſcebat: vires attenuabatur, abſorbebantur, exhauriebantur. Præſtantiſſimorum certatim Medicorum experientia in conſilium adhibita, templa precibus fatigata, & quoad mortalibus datum, hoſti huic acceſſus fruſtra obſtructus, quem nullum ſatellitium penitus arcet. Cùm animadvertiſſet TOBIAS Noſter, morbi nulla arte vim mitigari, non animo fracto, non ſublata conſtantia, ſed erecto ad optatam vitæ cataſtrophen digne ſe præparabat: mundum hunc, quem tanto labore perdidicerat, ex animo planè deponebat: mentem univerſam Chriſto tradebat, æterna cogitabat, divina anhelabat, animum cœlo inferebat, antequam animam inferret. In ſuprema hac neceſſitate quoties ab aſſiſtentibus liberis fidei & confeſſionis ſuæ admonebatur, quoties de ſua in eadem perſeverantia interrogabatur, toties primum quidem verbis, dein verò his ob virium imbecillitatem deficientibus, capitis & pectoris nutu quavis lingua efficacius loquebatur:

Ieſu Chriſte, Tibi vivo, morior Tibi, Chriſte:
Mortuus & vivus ſum maneoque Tuus!

Oelbaſii animus major,
quam ut in corpore, ſine anguſtiis, *habitaret*.
Morbis monitoribus *uſus*,
Aluit mortalitatis memoriam:
& his gravatus oneribus
præcluſit levitatibus *viam*,
Amaſius æternitatis
in manifeſta erupit odia temporis.
Deum anhelanti
nullus dolor, humana deſerere:

Summa

Summa verò lætitia,
fluxas *res* æternis *mutare.*
Spei *plenus*, metum *omnem excludens,*
quia vixerat, *ut* moriturus,
mori *quoque debuerat* victurus.
Qui denique id ſemper egerat,
ut nulli *quicquam* deberet:
nullum ſolvit *libentius* debitum,
quam ſupremum.

Tandem cum a. d. 27. Octobris clarum mane feneſtras intraſſet, (ô triſtis quidem, ſed beata lux illa! anima quaſi ſatis & abunde officio ſuo functu, corporis vincula exuens, feliciter ab hujus mundi carcere liberata, ad cœleſtes illas ſedes, unde nata erat, evolavit: & ſine ulla pugna, ſine ſenſu, ſine mortis guſtu, tanquam de domo in domum migravit, æternamque beatitudinem cum mortali hac miſeria commutavit: ab JCtorum conſortio ad conſortium Angelorum & Sanctorum introducta, è caliginoſa mortalitatis hujus cuſtodia ad æterna cœlorum palatia translata: ibi DEI ſerenum intuetur ſine caligine, DEI gaudium excipit ſine felle, DEI gloriam poſſidet ſine ſatietate. Corpus verò terræ redditum eſt: quæ ut ipſi levis ſit, omnes mecum precantur.

Sic itaque Noſter curſum confecit, quem divina injunxerat clementia: ſic pugnam cum morte commiſit, & ſumma contentione pugnavit: jam palmam habet, jam coronam, nulli hyemi, nulli tempeſtati obnoxiam: ſic præmiſimus, quem haud amiſimus. Eheu OELHAFI, ſiccine Tu patriam repetens triſti nos orbe reliquis? itane à nobis, rediturus nunquam, abis? à Nobis ſuperſtitibus in turbulento hoc rerum ſtatu, & exulcerato hoc mundi corpore: hac, inquam, tempeſtate, qua peregrinatur pietas, exulat juſtitia, charitas frigeſcit, omnia in pejus prolabuntur. O quantas & quam juſtas nobis mœrendi cauſas relinquis! relinquis patriæ, quæ deſtituitur tanto Cive: relinquis Curiæ, quæ tanto Conſiliario: relinquis Conſiliariis, qui tanti Collegæ conſuetudine: relinquis OELHAFIANÆ familiæ, quæ tanto lumine: relinquis Univerſitati, quæ Procancellarium graviſſimum, gloriam itemque ampliſſimam: relinquis univerſis & ſingulis, qui Virum omni laude majorem, & inter præcipua ſeculi or-

namenta numerandum, amittunt. O tragicas rerum vices! qui ſtylo ſemper & ore locutus, nunc tacet! Atenim verò Aud. Sol Noſter non occidit: non vixiſſe, ſed vivere JCtum Noſtrum vel in tumba ſuſpicor. Pergit expeditius vivere, qui ſine corporis impedimentis vivit: vivit in ipſa morte, qui magno animo eum cum vita commutavit: non moritur, qui bene vixit!

Solare fletibus tuis Juſtitiæ *mœrorem, Pegneſe!*
quando ſuo conſepulta *Oelhafio*,
funeris, *cujus & ipſa* pars magna *eſt*,
agere præficam *minus poteſt*.
Lugeant *oculi damna* ſua, *ſi* aliena *diſſimulant:*
Inde doleant, objici *ſibi* argumenta luctuum,
Unde ſemper fluxerant gaudiorum.
Omnium linguis *laudetur, &* lacrymis,
qui ita vixerat *apud omnes*,
ut ſine *omnium* damno mori *non poſſet*.
Hinc, in teſtamento
ne quis ſe quereretur præteritum,
reliquit omnibus deſiderium *ſui*.
Cavete verò,
ne Illum è ſaxo *metiamini, quo* capitur:
Tantos Viros uſpiam minus, quam in urnis *reperietis*;
His nulla mundi pars vacat;
Qui & cœlum *replent* anima, *&* terram fama:
Hanc præſens *veneror*, abſens *ubique colam*,
Ultimum Manibus vale *dicturus*,
ac primum Muſis ſalve!

Funeralis quoque *concio*, in honorem inſignis hujus Viri, habita tum fuit à *Ioh. Michaele Dilherro*, Paſt. Sebald. & Profeſſ. Prim. ex *Eſaia* III, 1. & 2. cujus quoque hoc eſt Epicedium:

PLange, *Themis*! lacrymas, *Peitho* mœſtiſſima! funde:
Atque ob nube caput, Noris amata! tuum.
OELHAFIUS, quovis titulorum Syrmate major,
Eripitur Patriæ. Haud ſcribere plura queo.

TOBIAS OELHAFEN JURISCONSULTUS ATQVE CONSILIARIUS NORICUS

Digitized by Google

Κατ' ἀναγρ.

IS, QVI HIC ORE SUO INCLARUIT, NUNC ABIT E SOLO, A SUIS. FLORET SANUS:

NUnc abit è vita, longum qui vivere dignus:
Dignus *is* OELHAFIUS, vivere dignus erat.
Nunc abit OELHAFIUS, *qui* dudum *inclaruit* orbi,
Hîc atavo, hic tritavo clarus, & *ore ſuo*.
Clarus & ore potens, qualis decus orbis Ulyſſes,
Aſt abit, *aque ſuis* devius, *eque ſolo*.
Haut abit, haut abiit: ſed *ſanus* perpes, adauctus,
Corpore *floret*, humi vivit, honore viget.

DANIEL WULFER.

Siſte gradum, Viator!

NEfas eſt, præterire, quem fama victrix temporum
Sermonum adſcripſit ordini.

Cernis hîc urnam

Natalium ac meritorum ſplendore
Nobilis & Incomparabilis Viri,

TOBIÆ OELHAFII à SCHOLNBACH,
Patr. Nor.

Cui quicquid JCtorum eſt, meritò aſſurgit.
Hic veram in Chriſto vitam exſpectans
D. XXVII. Octobr. cIↄ Iↄ CLXVI.
obIIt, qVI fVerat LegatIonIs NorICæ DeMoſthenes,
& Comitiorum Comes Individuus:
Cujus oſſa ſub tumulo hoc placidè quieſcunt.
Ejusdem merita ad Aſtra tollit
Grata inſignium Meritorum nutrix Æternitas.
Nullius ore ſæpius ac (melius) locuta eſt NORIBERGA,
quam hujus:
Sive enim pro Patria, ſive cum, Patria,
Sive ad Patriam loquendum fuit,
Tullii hujus facundia omne tulit punctum.

Digitized by Google

Deplorant Heroëm Conſiliorum Reipubl. Patriæ Atlantes,
Neque diſſimulant, quantum nunc urat illud CARERE.
Quippe fugientium nonnunquam meritorum
Memoria tenacior, quàm præſentium.
OELHAFIUS non ſui ipſius ſed Reipubl. Civis,
Exemplo ſuo jam oſtendit:
Multum efferri Civitatis cum hiſce Civibus.

J. G. RICHTERUS, JC.
Reip. Patriæ à Conſil.

SCRIPTA.

Templum Pacis in Romano Germ. Imperio: *Francof.* 1657. in 8.

Dea Moneta, ſive orationes de ſtatu hodierno rei monetariæ in Imperio Romano Germanico: *Norib.* 1665 in 8.

Diſputationes diverſis locis temporibusque habuit aliquot e. g. de formis & ſpeciebus Rerumpublicarum: De Donationibus: De Magiſtratibus: De principiis juris: De Appellationibus &c.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITTORIO EMANUELE

MEMO-

Digitized by Google